TRACT 6

PHILIPPI DOVTE
DOCTORIS MEDICI PARISIENSIS
DE SVCCO CYRENAICO DIATRIBA
Ad Bertinvm Dievxivoie ejuſdem Facultatis Doctorem,

Cui acceſſit ad eundem

ANTIRRHETICVS

In quo ſingula Apologetici Capita diſquiruntur, indéque natâ occaſione Alexipharmacorum ac Purgantium vires in totius ſubſtantiæ proprietate poſitæ vindicantur.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud Franciscvm Mvgvet, Typographum & Bibliopolam, viâ Citharæ, ad inſigne prope murum Adorationis Regum.

M. DC. LIX.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.



CLARISSIMO VIRO D. D.

FRANC. BLONDEL

DOCTORI MEDICO
ET SCHOLÆ PARIS.
MERITISSIMO DECANO.



QVVM erat, VIR CLARISSIME, *ut Scholæ Parisiensis Decani Præceptorisque sapientissimi existimationem unà cum Majorum doctrinâ Conuitiatoris maledicentissimi veneno laborare diutiùs non sustinerem, sed quamprimùm struices hasce calumniarum in os stolidissimi vitiligatoris regererem, & quos suo Apologe-*


tico contechnatus ac meditatus eſt errores atque mendacia, depromptis ſuppeditatiſque è doctiſſimis tuis prælectionibus, tanquam ex vberiori puriorique Medicinæ fundo, inſtrumentis, hocce noſtro Antirrhetico protinùs reuelarem & expungerem; ac demùm, quod ſingularis officij & pietatis ratio expoſtulabat, haſce de ſucco Cyrenaico lucubrationes ſub tuâ Clientelâ typis curarem mandari. Et ſanè alium à te vtriuſque hujuſce operis Patronum & Vindicem appellare non poteram, quem, vbi diuinæ profeſſioni nomen dedi, obuium & aſſiduum ducem meliorîſque Medicinæ Magiſtrum nullo non tempore & loco ſum expertus, qui me indefeſſo ſtudio tyronem ſanioris diſciplinæ præceptis imbuiſti, primúmque è Scholæ carceribus erumpentem ſoluentemque portu humaniſſimè excepiſti, & inoffenſo curſu per tot ſyrtes jactatum optato tandem littori officioſiſſimè reddidiſti. Verumenimverò mihi nexo tibi pluribus nundinis debitori omnia ea nomina nuncupare non vacat, aut verſuram in colendiſſimum Præceptorem meditari, quem im-

præſentiarum, dum nonnullorum quidem inuidiâ, bonorum verò omnium voto & studio, noſtri denique ordinis ſingulari ornamento ad puppim ſedes, & Scholæ principis per hoſce pluſquam decumanos fluctus rectum clauum tenes, DIGNISSIME MODERATOR, *antiqui nominis acerrimum fortiſſimumque defenſorem, legum noſtrarum tutorem religioſiſſimum, hiſce temporibus opportunò adeſſe experimur; adeò vt (quod ſatis eſt ad inuidi impuriſſimique obtrectatoris reuincendam atrociſſimam calumniam) ſolidiori eruditione, reconditiori doctrinâ, vitæ integritate & ſanctitate morum venias venerandus bonis, improbis verendus, eôque nomine & titulô in eo curſu generosô plurimùm ſtudiô lampada ſis traditurus ſecuturis. Glorietur nihilominus naufragi nominis Appendicis defenſor ſe fortiorum illuſtriumque claſſi aſcriptum Scholæ dignitatem infami perjurio ſic dedecoraſſe, mihi verò ad Hippocratis ſacramentum addicto perhonorificum ſemper erit,* VIR PRÆSTANTISSIME, *ſi quando ex aſſiduâ tuarum præceptionum*

Pag. 70.

meditatione imitari te obtigerit, debitoque obſequio proſequi. Interim quicquid doctrinæ noſtro huicce operi acceſſit, hoc tui muneris, hoc tui in me laboris eſt, quod, dum Clientis grato cultu & teſtificatione fidem liberare ſatagit, tibi pro tot tantiſque in ſe collatis beneficiis tanquam memoris animi ἀναθήματα *hâcce votivâ Epiſtolâ appendit & conſecrat.*

Tibi addictiſſimus
P. DOUTÉ.



DOCTORVM APPROBATIONES.

NON possum non satis laudare doctissimas hasce Magistri PHILIPPI DOVTÉ de succo Cyrenaico disputationes, quibus & veritati ipsi, cujus clarum lumen tenebris, quantum potest, offundere conatur aduersarius, & meritissimo Præceptori suo, injuriis calumniisque lacessito ex animo patrocinatur. Eloquentissimo igitur huicce operi non in iis tantùm, quæ ad rei gestæ in Scholis Historiam, cujus oculatus fui testis, sed etiam quæ ad doctrinam pertinent probatissimorum proculdubio tàm veterum quàm recentiorum scriptis omninò consentaneam, assentior. In cujus rei fidem, syngrapham hîc apposui, Die 23. Septembris anno Domini 1659.

PERREAV.



DE hocce pereleganti ac doctrinâ refertissimo opere idem meum est cum Collega Clarissimo Perello judicium die eadem.

MERLET.



LEGI & perlegisse juuit Diatribam & Antirrheticum Clarissimi viri Magistri PHILIPPI DOVTÉ Doctoris Medici Parisiensis, opus quidem tersum, nitidum, oppidò elegans, atque ἐυμουσίας plenum; si quis me roget de ea lucubratione quid sentiam, liberè pronuntiabo illiùs ἔκδοσιν quamprimùm mihi videri maturandam, cum intersit rei litterariæ atque medicæ

præſertim, vt liqueat exercitatis in arte de ſucco Cyrenaico aliàs πολυχρυσῷ in poſterùm quid ſentiendum ſit, cum hactenùs ſuper illius indole & genio variarum partium fuerint, qui de eo ſcripſerunt, aliis alitèr atque alitèr ſentientibus; magnam proindè & ſolidam gratiam initurus hodie Collega noſter Clariſſimus à Philiatris omnibus, qui rei aliàs obſcuræ lucem, faſtiditæ gratiam, obſoletæ ac fugienti nouitatem dedit; illiuſque naturam ex ipſis antiquitatum canis pari ingenij fœlicitate ac facilitate eruit, vt fidi Interpretis numeros omnes impleuiſſe, atque vel minimam poſthàc vitilitigandi de ſucco Cyrenaico occaſionem præripuiſſe viſus ſit ita ſentio.

Pariſiis, die 20. Septemb. 1659.

A. CARPENTARIVS.
Doct. Medic. Pariſ.



PHILIPPI DOVTÉ DOCTORIS MEDICI PARIS.

DE SVCCO CYRENAICO DIATRIBA.

Ad BERTINVM DIEVXIVOIE, *ejusdem Facultatis Doctorem.*



PVD me receperam (BERTINE) fore vt Scholæ nostræ finibus non cederet illa, quæ mihi pro more disputanti habita de Silphio Veterum disceptatio, malamque hanc causam, quam tuebaris, alto etiam tum silentio confessus, quum jus plenaque & summa obloquendi authoritas apud te sederet; Id ita futurum non opinionem modo, sed fidem certiorem tùm mihi cum cæteris qui frequentes aderant, teque contra audiri silentio percupiebant, injeceras. Verùm ecce tandem ab ea expectatione nos omnes reuocas, aliudque animo hæsisse consilij nunc palam facis,

quum veluti denuò in aciem proditurus, pluribus jam mensibus sepultam tuam istam Thesim ab orco excitas, ac breuiculâ paucarumque linearum assutâ de Silphio appendice nonnihil auctiorem, in lucem jubes redire; sic vt certum me jam facias omnibusque te approbes rerum à me propositarum veritate & pondere perculsum potius ac stupidum, quam victum siluisse. Neque sanè quisquam ad hancce vindictam tibi nunc extra Palestræ aleam posito vocem redditam ægrè ferret ac inuideret, si ad bonam insimul mentem rediisses, nec tantùm rem tibi cum nomine perditam malitiosiùs dissimulare, sed conuitiorum veluti tectorio rerum egenus, fœdiores in materia medica ignorantiæ papulas obducere breuiculâ scriptione publici juris factâ studuisses. Atque equidem si eâ, quâ debueras fide, quæ in ore omnium dixeram, vt par erat, ab isto tandem excitatus veterno repræsentasses, dignum veterum litterarum religione ac professione candorem nil violato veritatis genio fuisses secutus, tuique modo nominis liberandi causâ scribendi cepisses prouinciam, vt quod erat in quæstione ex tuæ Thesis positionibus de Silphio à me petitum, tibique faceret, quodque vel caducæ aliàs memoriæ tum non fuerat in numerato, vel in aduersariis quæ pro re natâ ipsâ in arenâ de pulpito consulebas descriptum ex aduerso reponeres, æquiore animo singuli doctis tuisque omnibus pudorem illum adeò grauem turpi silentio sic dedecorantis authoritatem Scholæ & Magistri sustinerent. Quin imò ejus gentis cùm sis, nemo non fuisset miratus te ad Romanæ illius Picæ ingenium sincerâ fide rediisse, quæ garrula priùs, placitam Næniam occinentibus in vicini diuitis funere Siticinibus apud se meditata illicò conticuit, quàm erudito plurium dierum silentio non antè vocalis esset reddita. Vter enim amabo no-

ſtrum ineptior? Vel tu totius diſputationis arbiter & moderator minùs aptus muneri ſublimis ſedens, qui quûm loquendum fuit ſiluiſti, quûm tacendum jam loqueris, nec loqueris modò, ſed mendaci ſcripto effutis aliena; vel ipſe qui loquendi partes eas, quas ex lege Schola auditores beneficio dederant, ſum tutatus. *Ineptus* enim, Craſſum apud Tullium ſi audias, *Videtur ab hoc nomen habere ductum, quod non ſit aptus, idque in ſermonis noſtri conſuetudine perlatè patet. Nam qui aut tempus quid poſtulet non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus eſt, is ineptus dicitur.* 2. de Orat. Sect. 4. Hæc igitur eo animo ad te ſcripta velim intelligas, vt noſtra, quæ corrupiſti, dicta reuincerem ac vindicarem à malignâ adeò & imprudenti diſſimulatione, iiſque tecum recognoſcenda proponerem, quæ plurium teſte memoriâ viuis & præſentibus dixi. Cum pridiè Kalendas Februarij præſentis anni tibi de quæſtione quodlibetaria in Scholis ordine diſputare, ſedente ac reſponſuro Baccalaureo Ludouico Gallais incumberet, dum jejunitati materiæ Medicæ peregrinantibus ſtudiis illudis, & preceps ad noua, veterum meliorumque rudis vulgi famæ plauſum daturus properas, quæſtionem hanc propoſuiſti, *An febri quartanæ Peruuianus cortex?* cujus partem affirmantem concluſione probaturus inter alia abs te propoſita in medium febris quartanæ præſidia, laudatâ venæ ſectione ac demum purgatione, hæc ſubinde tertiâ appendice ſcribis. *Vt detersâ primæ regionis illuuie poſſimus opportunè agere quod ſatius eſt, ſcilicet qualitatem qualitati opponere, ſuumque febri quartanæ ex Peruuiano cortice remedium adhibere, qui jam refixo Theriacæ vſu, ſuccum Cyrenaïcum deſideramus.* In quæ poſtrema verba

vt ipſe aliquid proponerem, cui diſputandi prouincia ex lege & more ſcholæ obuenerat, à me impetrauit neceſſitudinis & communis patriæ vinculo conjunctiſſimus Collega M. Nicolaus Morin. Quanquam verò etiam apud me conſtaret multis retrò ſæculis ſuccum Cyrenaïcum deſideratum, exercendæ nihilominus perdocti Baccalaurei induſtriæ ergo, paucis ſed neceſſariis de Silphio prælibatis, nec ejuſmodi ſtirpem noſtræ huic ætati Naturam factam nouercam inuidiſſe, neque Seplaſiariorum officinis deeſſe vt oſtenderem, vnico hocce ſyllogiſmo confeci. *Non deſideratur noſtrâ ætate ejuſmodi remedium quod penes officinas proſtat. At ſuccus Cyrenaïcus penes officinas proſtat. Ergo ſuccus Cyrenaïcus noſtrâ ætate non deſideratur.* Vtque negatæ minori propoſitioni fieret ſatis, locupletioribus hinc & inde corrogatis è materiæ Medicæ ſcriptoribus inſtrumentis vſus oſtendi, ſuccum Cyrenaïcum à noſtris Seplaſiariis exhiberi eo licet nomine aliis alia ſuggerentibus. Nonnulli ſiquidem ſuccum Cyrenaïcum Aſam fœtidam eſſe putarunt, vt Valerius Cordus annotat. in cap.94. lib.3. Dioſcoridis, Garcias ab Horto lib. 1. hiſt. arom. cap. 3. Auicennæ item Interpretes lib. 2. tract. 2. cap. 9. de Anjuden, quod illis Laſerpitium eſt, cujus plantæ duæ ſpecies referuntur, alba nempè & nigra, illam Aſam dulcem ſiue odoratam eſſe quæ Taprobanæ indigenis Belzoe nobiſque inde Belzoin, & corrupto peregrino ab officinis nomine Benjoin, corruptiùs Bencoin author Syluius lib.1. de ſimpl. medic. delectu. Franciſcus Alexander in ſuo Electuario de Laſere, Officinis de Aſa. Fuſchſius lib.1. de compoſ. medic. cap. 10. Braſſauolus in examine gummium. Mathæus Syluaticus in pandectis, atque etiam è græcis recentioribus Myrepſus in deſcriptione antidoti è Caſtorio, itemque ſectione de Hieris, Vnguentis & alibi paſſim. Ad hæc adjeceram in partes

quoque abiisse Botanicos scriptores quorum plerique odoris gratiâ foliorumque & seminis specie persuasi, Imperatoriam dictam Angelicæ speciem Silphium esse judicarunt, vt Fuschsius, Turnerus, Hofmannus lib. 2. de medic. officin. cap. 15. Alij satiuam Angelicam, vt Andræas Lacuna, vel aquaticam majorem vt Dodonæus, qui etiam genus Laserpitij Leuisticum facit, suum quoque de ferulacearum stirpium gente è regione Massileæ erutum Lobelium laudasse. Sed cum defugere omnes ejusmodi authoritates procliue nimium viderem fore, vnam instar omnium pro Achille opposui, cui nec ipse controuersiam meo judicio eras facturus, ea fuit clarissimi Collegæ Domini Renaudoti junioris, ex famoso ejus libello vernaculè inscripto in gratiam Antimonij deprompta, cui mustulentus adhuc vix dum palæstræ derterso puluere precarius suffragator accesseras, cujus libelli parte alterâ pag. 265. vbi de purgantibus medicamentis ab Hippocrate vsurpatis verba facit, hæc ille habet. *Le suc d'Hippophaès, qui est vne espece de Mouron, luy seruoit à purger les eaux des hydropiques, & les serositez qui occupent la hanche dans la sciatique, & autres maux causez de fluxion, aussi-bien que celuy de Silphium ou Benjoin, dit par excellence suc Cyrenaïque, pour ce que la plante, dont il est extraict, croist abondamment en la Ville de Cyrene.* Ad hæc in medium prolata, cum necesse foret tibi loqui, rem tuam tacendo sic perdidisti in amplissimâ hacce omnium vrbis ordinum concione (aderat enim & inter cæteros eminebat Illustrissimus Ecclesiæ Antistes Archiepiscopus Turonensis) vt omnium animis non minori tuum istud silentium admirationi fuerit, quo derepentè factus in Hippocratis cortinâ alter Harpocrates, quàm alterius cujusdam, qui extra ordinem disputaturus accesserat, intemperiæ ac petulans proteruitas, quâ me disputantem, cæteris propitiis

& ad audiendum placidè compositis, ausus vnus interpellare, verum illa mox jubente vniuerso ordine compressa; cum sic rem hanc tuam fideli tutam silentio velles, aliò vertere sum coactus; neve iterum de ignotæ tibi stirpis cortice disputarem, religioni duxi, veritus nempè totius disputationis sequester cum esse deberes, in eo etiam argumento κωφὸν πρόσωπον tuatìm ageres. Placuit ideò de tempestiuitate modo exhibendi Peruuiani hujus corticis disserere, quâ de ad calcem tuæ quæstionis hæc scripseras. *At vero nusquam tempestiuior sit corticis vsus, quàm qûm rigores decrescunt & status febris inclinat, ineunte potiùs quàm desinente paroxysmo tentandus.* Videbatur enim à recta medendi lege & veterum normâ prorsùs alienum, nouum tum temporis Naturæ negotium exhibito quocunque medicamento creare, qûm illam pejus habet totamque agit & occupat vis morbi; siue enim non paroxysmi, sed morbi totius tempus istud opportunum intelligeres (tale scilicet responsuro Baccalaureo perfugium eras contechnatus) eadem semper ratio occurrebat vtriusque temporis, eademque metuenda quæ hinc vel inde redundaret in res Naturæ morbi injuria, nempe in confesso est, haberi meritò Paroxysmum, [a] *deteriorem totius circuitus eam partem quæ à primo insultu ad vigorem vsque pertinet, veluti reliquam, quæ declinationis est, meliorem*; Vt ajebat Galenus. [b] A quo etiam ampliùs me reuocabat criminosa plurimùm hujus Medici, cujus ille meminit, temeritas, [c] qui propinatâ Theriacâ (cujus tu succedaneum corticem Peruuianum dari jubes) laborantem triplici quartanâ ægrum, [d] *morbo nondum vigente*, ingrauescentibus exinde symptomatis, ac febre continuâ exortâ jugulauit: cujus authoritate & rationibus vsus, cum hæreret tibi aqua, vt pudori tuo indulgerem, mihi à disputatione temperandum duxi.

a τὸ χεῖρον μόριον τῆς ὅλης περιόδου, τὸ ἀπὸ τῆς πρώτης εἰσβολῆς ἄχρι τῆς ἀκμῆς; ὥσπερ γε τὸ ὑπόλοιπον τὸ τῆς παρακμῆς ἄμεινον.

b Comm. ad aphor. 12. lib. 1.

c Lib. 1. de art. curat. ad Glauc. cap. 11.

d οὔπω τοῦ νοσήματος ἀκμάζοντος.

Sed ecce cum ſolenne ſit, affectâ in reſpondentem Baccalaureum diſputatione, de quæſtione (quam, diſputantium arbitrio cum ſit obnoxia, Quodlibetum ex eo vocant vetere legis formulâ) quemque Baccalaureorum nunc nunc reſponſurum interrogari; quaſi hæc tibi foret Helena, litem eandem ſeris & denuò incipiſcis; ſciſcitatus quippe à Fabiano Perreau erudito Baccalaureo, cur refigeretur in quartana febre percurandâ Theriaces vſus? & an Galenus alicubi meminerit ejus plantæ ex qua ſuccus Cyrenaicus exprimebatur? atque ad tuam mentem id eo aſſeuerante nullibi Galenum ejus plantæ mentionem feciſſe, ipſe pro Mantiſſa, quâ obſonium vinceres, adjeciſti, laudatiſſimum vſuque Galeno receptiſſimum veterum Silphium ætati noſtræ deeſſe. Ex quo ab Edmundo Charrier Baccalaureo, qui ordine mihi ceſſerat, quærendi anſam cepi, è quanam ſtirpe nobilis iſte Veterum liquor educeretur, ſimulque an Galeni ætate in vſu foret? Cumque is meditato Silentio prioris quæſiti declinaſſet reſponſionem, totumque in altero ſoluendo ſe tibi daret; ipſe contra luculentâ & ſolidâ authorum priſcorum fide demonſtraui, veterum ſucco Cyrenaico, qui è ferulacea ſtirpe eliciebatur, Galeni ætatem caruiſſe. Cumque ne Verbulum quidem certiſſimis teſtimoniis ac teſtibus refellendis potuiſſem à te elicere, finem feci quærendi ac dicendi. Atque hæc eſt totius rei mihi tecum geſtæ, ſi in memoriam redire vis, vel eorum omnium, qui me diſputantem benignis auribus exceperunt, fidem appellare, Hiſtoria. Ipſe tamen cum tam longum ſiluiſſes ac edormiiſſes; tandem, elapſis aliquot menſibus, queis ſcilicet apud pleroſque rerum præteritarum memoria frigeſceret, de tuâ theſi ſecundùm edendâ conſilium tibi fuit in pectore aut cum Tribulibus tuis; quam appendice inſtructiorem, minutulo Charactere &

Schemate cuſam, per pararios tuis modo eâ fide & diligentiâ communicandam tanto ſtudio contendiſti, vt hujus copia niſi in aliquot Horas, circiter ante menſem, mihi eſſe non potuerit: illi autem tibique adeò vt ſcripto reſponderem, conuincendi erroris & falſimoniæ, quam auſus es publicare, vniuſque ſtudio tuendæ veritatis, pro qua nec cum ipſis muſis cernere, Galenum ſecutus, detrectarem; non pauci, neque vltimi, immò eruditionis famâ Principes Viri obtinuere. Vt igitur tibi per partes quod è re eſt reponam, tuam ipſe appendicem recognoſce, quam his ipſiſſimis verbis exaraſti. *Succi Cyrenaici ſolennis olim vſus erat; attamen ille ſolis attenuandi, incidendi, permeandi & calefaciendi viribus vel ſolo originis nomine nobis jam notus eſt. Ex qua enim Planta ſuccus ejuſmodi duceretur, nullibi quantumvis in dicendo multus pro more Aſiaticorum edocuit Galenus. Non quod ignota Galeno fuerit illa planta, quoniam ejus ætate periiſſet. Ecquis enim non videt ineptientis fuiſſe, atque me herculè raucum reſonantis Echus propalàm effutiiſſe, plantam, ex qua legeretur ſuccus Cyrenaicus, tempore Galeni periiſſe; qui quidem ſuccus eo vigente tantoperè vſitatus vigebat apud omnes, & è quo probatiſſimum tunc temporis habebatur remedium. Niſi velit Galenum, quod inſulſiùs aiebat, longè antè intellecto agri Cyrenaici excidio, nec non indigenæ nobiliſſimi ſucci præuiſo interitu, hujus ſibi magnam copiam comparaſſe, ne hac, dum viueret, vſquam Antidoto, nepotumque poſterior ætas carere poſſet in ægrorum ſolatium.* Quibus vt κατὰ πόδα reſpondeam, te quanquam ſine lege vagum palatumque & à recto tramite aberrantem perſequi veſtigiis mihi eſt operæpretium. Quid enim in-primis ineptiùs ac ſuperuacaneum magis quàm de ſtirpis ignotæ vſu & viribus primùm loqui? ſic enim incipis, *ſucci Cyrenaici ſolennis olim vſus erat.* Hæccine paupertina elegantia quâ auidum lectorem

1. meth. med. cap. 9.

ctorem excipis, & tantula vulgo nota pro auctario adjicis? In hujus ætatem inquirere, tuæ partes erant, & quem veteribus vſum exhiberet, docere; nec tam jejuno ſcripto, appendicis inani titulo & expectatione omnium ſtudiis meditatâ domi lucubratione illudere. Huic nempe argumento conueniebat illa [a] *quæ res docet doctrina per fuſam explanationem accurata*, quam Galenus laudat, cujus inſtitutum eſſe debuit, rem hanc in veritatis lucem proferre & explicare, quam ex veterum monimentis requirere de cætero tibi fuerat integrum. Nempe ex Cyrenæorum relatione doctus te docuiſſet Theophraſtus, ſeptem ante Cyrenas conditas annis Silphium primùm innotuiſſe, hoc eſt, Olympiadis quadrageſimæ anno tertio, 168. annis ante natum Hippocratem. Quod reſcire facile eſt, ſi ad æram Theophraſti calculum benè ponamus; ait enim trecentos annos à Cyrene conditâ effluxiſſe, quum Athenis Archon foret Simonides; id autem contigit Olympiadis 117. anno ſecundo. Etſi anno vno ſeriùs id factum Plinius velit, nempe Olympiadis 40. anno quarto. *Id*, inquit, *apud omnes authores Græciæ euidentiſſimos inuenimus natum imbre piceo repentè madefactâ tellure circa Heſperidum Hortos, Syrtimque majorem ſeptem annis antè oppidum Cyrenarum, quod conditum eſt vrbis noſtræ anno* 143. hoc eſt, Olympiadis 42. anno tertio, regni autem Tarquinij Priſci anno ſexto. Quibus ſcriptoribus non ita multum à ſe inuicem diſſentientibus malim accedere, quàm Scholiaſtis Ariſtophanis & Suidæ deferre teſtimonio, indeque altiùs multò repetendæ Silphij Originis captare conjecturam; is quippe ſcripſit, [a] *Ariſtæus primus inuenit Silphij parandi Artem.* Quod etiam Scholiaſtæ Ariſtophanis acceptum eſt. [b] *Ariſtæus verò*, inquit, *Apollinis & Cyrenes filius, primùm præparationem Silphij inuenit, vt & mellis.* Si enim noti priùs Silphij appa-

a ἡ διδάσκουσα τὰ πράγματα διδασκαλία κατὰ διέξοδον ἀκριβῶς γινομένη.

Comm. 1. in 3. epid. ad Hiſt. Pythionis.

Lib. 6. de Hiſt. Plant. cap. 3.

Lib. 19. cap. 3.

a Ἀρισταῖος δὲ πρῶτος εὗρε τὴν τοῦ σιλφίου ἐργασίαν.

In Equitibus.

b Ἀρισταῖος δὲ ὁ Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης πρῶτον τὴν ἐργασίαν τοῦ σιλφίου ἐξεῦρεν ὥσπερ καὶ τοῦ μέλιτος.

randi artem primus docuit Aristæus Apollinis & Cyrenes filius, isque in ipsa Cyrene vrbe, vt fabulantur, natus, pluribus ante sæculis cognitum fuisse Silphium verissimum videretur. Illum ipsum siquidem Aristæum vxorem habuisse Autonoen Cadmi filiam, author est

In Phocicis.

Pausanias; Cadmus autem sub annos mundi 2669. Thebis à se exstructis regnauit, 1279. ante Christum natum, ante primam Olympiadem, quæ anno mundi 3160. cœpit, 489. annis. Et reuera Battus, quem contrà omnes vno ore Cyrenes vrbis conditorem agnoscunt, ab vno Argonautarum genus duxit, quem Euphemum Neptuni filium inter Argonautas scripsit Apollo-

Biblioth. lib. 1.

dorus, à quo iste Battus decimus septimus recensetur

Pythiorum ode 4.

ex Vaticinio Medeæ apud Pindarum. Vnde constat pluribus sęculis Cyrenarũ conditorem Battum Aristęo juniorem fuisse. Atque ex eo forsan vtrumque scriptorem concinnandi Silphij artem acceptam Aristæo retulisse, conjicere est, quod Aristæum Pindarus non

Ibid. ode 9.
ἀγρέα ϗ νόμιον.

modo *Rusticanum* & *Pastorem* appellauerit, sed poëticâ figurâ vsus in ejus futurâ educatione describendâ ab Horis & Tellure educatum iri sit vaticinatus: Quibus artem agriculturæ edoctum intelligit, nam, vt ait Scholiastes, temporum ministræ & dispensatrices Horæ, quæ cœli portas aperiunt, Agricolæ obseruandæ & cognoscendæ; Tellus autem cognoscenda quid valeat, quid ferre recuset. Etsi etiam paulò maturius, si Soli-

Cap. 27.

num audiamus, Silphij natales veniant referendi, Ait enim, *Major Syrtis ostentat oppidum, Cyrenas vocant, quod Battus Lacedæmonius Olympiade quintà & quadragesimà, Rege Martio res Romanas tenente, anno post Trojam captam quingentesimo octogesimo sexto, condidit*: Nisi in Anachronismum hunc ipsum incurrisse dixerimus, quoniam Ancus Martius Rex Ro-Romanorum regnare cœpit Olympiadis trigesimæ quintæ anno secundo; ex eoque calculo cum septem

ante Cyrenas conditas annis Silphium exortum fuerit, hujus natales inciderent in Olympiad. 35. annum secundum. Verùm ampliùs, si Iustinum audiamus, facilè erit hæc componere, & Aristæum Batto conciliare, ait enim, *Cyrene condita fuit ab Aristæo, cui nomen Battos propter linguæ obligationem fuit.* Ex quibus colligere vacat illud agnomen Aristæi toti Battiadarum genti, qui Cyrenis regnarunt, commune fuisse, ab eoque deriuatum qui Cyrenas condidit; de Aristæo autem illo Batto ejusdem nobis Silphijque parandi authore fabulam transigi. His tuum *Olim*, quo eruderandæ antiquitatis negotio iners adeò properè te subducis, si sic illustrem, ineptire ne tibi rursus videbor? Pergis, *Solennis vsus erat*, In eoque designando hæres confessæ ignorantiæ sufflamine impeditus: potueras tamen abundè doceri; si seniores junior consuluisses, in cibum Silphium illis venisse rescires ac medicinam. Hæc siquidem planta Suidæ & Scholiastæ Aristophanis, *condimentaria & Medica*; ac pro cibo quidem fuisse & in acetaria venisse testatur Theophrastus, [a] *post hæc verò caulem quocumque modo esitari, optimúmque esse*, ait, *elixum, assum.* Et postea, [b] *Edi etiam radices recentes concisas cum aceto.* Agoracritus apud Aristophanem in foro vili prostare meminit, [c] *vt edant qui emunt.* Inter condimenta recensuit apud eundem [d] Pistheterus; Coquus etiam apud [e] Antiphanem Mugilem condit Silphij caule. Alter item apud [f] Plautum, dum aliorum imperitiam & inconsultam in condiendo profusionem accusat, ita loquitur,

Non itidem cœnam condio, vt alij Coqi.
Qui mihi condita prata in patinis proferunt,
Boues qui conuiuas faciunt, herbasque oggerunt
Eas herbas aliis porrò condiunt,
Indunt Coriandrum, Fœniculum, Allium, Atrum olus,
Apponunt Rumicem, Brassicam, Betam, Blitum.

Hist. lib. 13.

In Equitibus 342.
ἀρτυτικὴ καὶ θεραπευτική.

6. de Hist. Plant. cap. 3.
a μετὰ δὲ ταῦτα, inquit, καυλὸν ἐσθίεσθαι πάντα δὲ τρόπον ἀγαθὸν, ἑφθὸν, ὀπτόν.
b ἐσθίεσθαι καὶ τὰς ῥίζας προσφάτους κατατεμνομένας εἰς ὄξος.

In Equitibus.
c ἵν᾽ ἐσθίοιτ᾽ ὠνούμενοι.
d In auibus.
e Athenæus 14. Deipnosophist.
f In Pseudolo.

Eo Laserpitij libram pondo diluunt.

Lib. 12. de re rustica, cap. 7.

Columella acetariis & salgamis reponendis radiculas Silphij adjectas scribit, suoque Moreto Oxyporo, vel Oxygaro Laseris radicis indi jubet sescunciam. Quinetiam, si Solino fides, citra Amantes propiores Nasamonibus Asbystæ Lasere viuunt, hoc aguntur, hoc illis dulce est. Quem tamen Solini errorem perperàm verba Plinij secundi conjungentis & malè miscentis reuelauit doctissimus Salmasius. Nec latuit Galenum Silphij in cibis vsus, *quo fit*, inquit, *vt pleráque medicamenta, dum oriuntur & adolescunt, non aliter ac cibi mandantur, vt Silphij ac Sinapi stolones.* Sed præ omnibus hunc Silphij in cibis vsum tàm sanis quàm laborantibus familiarem aduertit Hippocrates, ac nonnullis conferre, nocere verò non assuetis & choleram siccam inferre admonuit. sic in Typho juscu-lum Lasere condiri jubet, & in voluulo quoque; eodem in hydrope pulmonis potum temperat. Mulieri quinetiam ad vires à menstruâ purgatione instaurandas propinat, & in cibo ad caducam grauiditatem exhibet, itemque ad venerem propitiam valere commeminit. Nec habuisse præsentiùs *ad cruditatem ciborum* remedium, quò ventris focula alerent Alexandri milites, cum per summa montium in Bactrianam concederent, narrauit Strabo. Pecudi quod amplius etiam venit quæsitumque est in saginam, vt scribit Theophrastus, *simul quidem igitur vere appetente emittit maspetum, quod purgat pecudes atque impensiùs saginat & carnes ad voluptatem mirum in modum instruit.* Etsi hæc ex aliorum fide se scripsisse subinde sit testatus. Ex quorum etiam relatione Arrianum meminisse adducor vt credam, ne beatam Silphij messem attondant pecudes, fundos suos sepibus munire solitos nobilis hujus plantæ Cultores, & obuallare. Quas vero in Medicina vires Laser obtinuerit, næ tum etiam ex aliorum

Cap. 57.
Cap. 28.
Lib. 5. cap. 5. in exercitat. Plin.
Lib. de attenuante victu, cap. 3.
Lib. de Vict. in acut. Sect. 4. art. 95. & 96.
Et Sect. 2. art. 35.
Lib. de internis affectionib.
2. de morbis mulierum.
Lib. de Superfœtatione.
1. de morbis.
πρὸς τὴν ὠμοσιτίαν.
Lib. 15. Geograph.
Lib. 6. de hist. plant. cap. 3. ἅμα μὲν οὖν τῷ ἦρι τὸ μάσπετον, (folium Silphij sic audit) τοῦτο ἀφίησιν ὃ καθαίρει τὰ πρόβατα καὶ παχύνει σφόδρα καὶ τὰ κρέα θαυμαστὰ ποιεῖ τῇ ἡδονῇ.
in Indicis.

fide doctus retines, dum ſic ſcribis. *Attamen ille ſolis attenuandi, incidendi, permeandi & calefaciendi viribus vel ſolo originis nomine nobis jam notus eſt.* Ita ſuperbè nimium vt temerè de ſtirpe tibi ignotâ definis, à quo enim accepiſti ſolis hiſce à te recenſitis viribus Silphium valuiſſe? ſi namque vim alexiteriam in ejuſmodi facultatibus colloces, quâ teſte Dioſcoride ſuccus Cyrenaïcus *à rabido cane demorſis confert impoſitus vulneri, omnibuſque venenatis animantibus & ſpiculis illitus & propinatus; ad ſcorpij vulnera oleo ſolutus circumillinitur.* Ipſiuſmet Galeni judicio eidem elencho obnoxium te illicò ſcias, quo Pelopem ſuum præceptorem olim arguit. Inane etiam torpedinis venenum munitam Silphio Cyrenaïco manum experiri Ælianus docuit. Nicander inter θηριακὰ Silphij ſuccum recenſuit.

Lib. 3. cap. 94.
ἐπὶ λυσσοδήκτων δὲ ὠφελεῖ ἐπιτιθέμενος τοῖς τραύμασι καὶ ἐπὶ τῶν ἰοβόλων πάντων, καὶ τῶν φαρμακωδῶν τοξευμάτων ἐγχριόμενος καὶ πινόμενος, ἐπὶ δὲ σκορπιοπλήκτων ἐλαίῳ διεθεὶς περιαλείφεται.

Lib. 5. de anim. cap. 37.

In Theriacis.

ὀποῖό τε δάκρυα.

Laſeris lacrymam.

An vim quoque totius ſubſtantiæ purgatricem, quam mentitus Hippocrati affingit Renaudotus ad has qualitates reuocas? vel nullo numero habes? Seroſis etenim Iſchiadicorum excrementis cum Hippophaë ὁμοιότεϱπον Silphium Hippocrati fuiſſe ex laudatis ſuperiùs Renaudoti verbis jam tibi liquet. Græcorum fortè dixeris elementorum germanitate deceptum Græcum immò omnium linguarum hominem, ſi legerit apud Galenum de Silphio καθαρτικὸν non verò vt habetur, *& quidem certè habet aliquid quod cum morſu exterat & eliquet.* Neque porrò ad vim hanc purgatricem Silphio addicendam Theophraſtum jure is laudauerit dicentem, *purgare verò corpora etiam hunc dicunt.* Et poſtea, * *purgari pecudes quæ folium eſitant.* Illicò namque hæc perperàm ab aliis ſcripta ipſe recognouit & caſtigauit quum addidit, *Depaſcere vero illud atque alterum plantæ genus ſimile abrotono. Calida verò ambo videntur eſſe, & purgationem quidem non mo-*

Lib. 8. de ſimpl. medic. facultatibus.
καὶ μὲν δὴ καὶ καθαιρετικόν τι καὶ ἀποτηκτικόν τι ἔχει.

6. de hiſt. plant. cap. 3.
καθαίρει δὲ καὶ τοῦτόν φασι τὰ σώματα.

* καθαίρεσθαι τὰ πρόβατα τὸ φύλλον ἐσθίοντα.

νέμεσθαι δὲ τοῦτό τε καὶ ἕτερον ὅμοιον ἀβροτόνῳ. θερμαντικὰ δὲ ἄμφω δοκεῖ εἶναι, καὶ κάθαρσιν

μὲν οὐ ποιεῖν, ἀναξηραίνειν δὲ καὶ συμπέπτειν.

liri, verùm reſiccare & concoquere. An vero Hippocrates pro purgante medicamento vſurpauerit? det ipſe junior Renaudotus notorem, vtpotè cui injurato fidem non debeamus. Et certè ex Hippocratis monimentis temerariæ prorsùs huic ſuæ aſſertioni authoritatem dare nequicquam ſtuduerit. Nec vno quidem medendi inſtituto adhibitum ab Hippocrate ſuccum Cyrenaïcum ſiue Silphium accipimus, interdum enim purgantibus medicamentis immiſtum legimus, quo vim illorum ventriculo moleſtam atque ſæpiùs inimicam temperaret, ſic Laſeris ſucco Peplium caſtigandum [a] docet, [b] aliàs Elaterium, [c] Elleborum; [d] modò flatibus ſuſcitandis commendauit, modò compeſcendis. [e] interdum ſecundis deturbandis, [f] in quartana etiam febre poſt purgationem per inferiora & balneum aquæ calentis eo vſus eſt, & pro ſudorifico in febre tertiana, [g] inteſtino recto prolapſo admouendum etiam præcepit, & [h] menſtruis eliciendis, [i] vteri ſordibus eluendis, vel ejuſdem [l] emolliendo Scirrho. Pro Eclegmate [m] in ſuppuratis, ad ἀνακάθαρσιν & ſputi libertatem conciliandam [n] in Pleuriticis. Eodem illini nares [o] in præfocatione vteri jubet: adeò hoſpitem & peregrinum non minùs in euoluendis Hippocratis ſcriptis, quàm in excutiendâ materiâ medicâ Iuniorem Renaudotum his prodere eſt, qui aſcriptum ab Hippocrate in purgantium ſeroſos humores medicamentorum familiam Silphium ſcripto auſus contendere; reique etiam botanicæ imperitior Anagallidis ſpeciem eſſe Hippocratis Hippophaës aſſeuerare, officinarumque Benzoïnum cum veterum Silphio miſcere; ſeu namque plantæ ſpeciem attendiſſet ille maturiore judicio cautior, ſeu vires, in aliam protinus ſententiam abiiſſet; ferulaceæ ſiquidem gentis Silphium extitit, at verò Benzoïnum vaſtæ ac proceræ cujuſdam arboris lacryma eſt, ſiue gummi quod ſponte vel

a De Vict. in acut. Sect. 2. art. 11.
b 2. De morbis.
c Notis ad calcem lib. 1. de morb. mul.
d Lib. de ſuperfœt. & lib. de ſterilib.
e Lib. de natura mul. & 2. de morb. mul.
f 2. De morbis.
g Lib. de fiſtulis.
h Lib. de natura Mul.
i 2. de morbis Mul.
l Lib. de ſuperfœt.
m 2. de morbis.
n 3. de morbis.
o 2. de morbis. Mul.

cæſo arboris libro manat, quæ quidem arbor Indiæ vltra Gangem indigena, ac præſertim Inſulæ Sumatræ & regni Sian, vt tradit Garcias *a* ab Horto, *b* Fragoſus & oculatus demùm ipſe teſtis *c* Hugo Linſchotanus. *Creſcit*, inquit, *plurimùm in Sianæ regno in Inſula Sumatra, Iauis ac regionibus circà Malaccam, altiſſimæ ſunt arbores ramis ingenti craſſitudine, foliis qualia limonum arbores habent, trunco vaſto, ex quo Gummi naſcitur, quod Benzoïnum vocant.* Hujus verò vbi cum eo periculum feceris, tum cæteras vires, quæ Silphium veteribus commendarunt, deſiderari doctior inde factus intelliges, tum eam maximè ſeroſi humoris purgatricem quam in Hippocratem authorem falsò ille regeſſit. Neque verò omnes materiæ Medicæ errores, in quos impegit ille, atque in-primis dum purgantia Hippocratis medicamenta exagitat, reuelare ac excutere hujus noſtri penſi eſt, aliàs alteri dabitur hæc prouincia veterum ſcripta & præſidia à Nouatorum calumniis, in quorum partes abiit, vindicandi. Quod è re tua meâque eſt, BERTINE, proſequamur. *Ex quâ enim Plantâ*, conſequenter ſcribis. *Succus ejuſmodi educeretur nullibi quantumvis in dicendo multus pro more Aſiaticorum edocuit Galenus. Non quod ignota Galeno fuerit illa Planta, quoniam ejus ætate periiſſet.* Bona verba quæſo! etiam tantùm tibi juris in Galenum ejuſque ſcripta paucorum annorum Doctor, nec veteres doctus memorias grauiſſimis contra ſcriptoribus doctiorumque ſuffragio ſolidâ & perpetuâ fide receptiſſimis repugnantibus, ſumis & vendicas? Adeò grauis & odioſa tibi muto & elingui illa communis Doctorum, neque nomine tenùs Medicorum, Magiſtri beata rerum fruge copia dicendi? Bene noſtro Galeno eſt, quod eodem animo, velut Momus alter tenuis ipſe, aridus & exſanguis, vitio vertas patrias opes fundique reſtibilis lautitiam: idem, ſi in ejus

a Lib. hiſt. Arom. cap. 5.
b Hiſt. med. Ind. tract. 4. cap. 6.
c Itinerarij cap. 71.

Instit. orat. lib. 12. cap. 10.

In Bruto.

ætatem incidiſſes, de Tullio ipſe dicturus, *quem*, vt ait Quintilianus, *ſuorum homines temporum inceſſere audebant, vt tumidiorem & Aſianum & redundantem, & in repetitionibus nimium*; is quippè, vt de ſe fatetur, totam Aſiam peragrauerat, vt principum Oratorum conuictu & diſciplinâ vteretur: hinc illi flumen & vbertas orationis venit, quibus tùm abundabat Menippus Stratonicenſis Aſiaticorum ſuo ipſius judicio diſertiſſimus, Dionyſius Magnes, Æſchylus Gnidius, Adramitenus Xenocles. Niſi enim meliorum faſtidio, nouitatis hocce morbo pluſquam ſontico laborares, reſque artis ſorte potiùs & caſu, quàm lege maturoque conſilio gerendas hoc tibi quæritares compendij ad famam; bonis litteris quàm ægris occupatior, tanto te Magiſtro dediſſes in diſciplinam, ſummam ab eo Aſiaticæ hujus vbertatis gratiam dubio procul iniiſſes, quæ pleniùs diligentiúſque docenti perneceſſaria, ſimul & ſtudioſis ſolidioris doctrinæ perjucunda eſt,

Lib. 2. de difficult. reſp. cap. 11.
ὡς γὰρ ἐν ἑστιάσει λαμπρᾷ πολλῶν παρασκευασθέντων ἄλλος ἄλλο προαιρεῖται, τὸ μὲν ὡς ἡδὺ τὸ δὲ ὡς ὠφελήσον, οὕτω χρὴ καὶ τῶν λόγων τὴν μὲν παρασκευὴν εἶναι δαψιλῆ, τὴν δ' αἵρεσιν ἐπὶ τοῖς χρωμένοις.

Quemadmodum, aiebat ille, *in ſplendidi epuli multiplici apparatu alius aliud præoptat, hoc quidem vt ſuaue, illud autem vt vtile. Sic verborum apparatum vberem eſſe oportet, delectum verò in vtentibus ſitum.* Ad hæc quis ſcribentis prolixitatem ægrè tulerit? quum aut obſcura reuelanda occurrunt, controuerſa pleniùs excutienda, vel neceſſarij in medendo argumenti ſoluenda difficultas, altiúſque diſcentium animis tradenda venit & inculcanda rei ſcientia. Quibus nominibus ſe tibi purgatum voluit Galenus.

5. De ſanit. tuend. cap. 1.

Neve is tàm malè apud te audiret, pluribus dicere de plantâ ſuæ ætati penitùs ignotâ veritus, alienis illam adumbrare neglexit coloribus, eamque, vt alter Pamphilus, quam ne per ſomnium quidem viderat, deſcribere; quod genus ſcriptorum ſcitè admodùm Heraclides Tarentinus apud Galenum traduxit, præconibus nempè ſimiles illos prædicabat, qui formam ac notas

6. de ſimpl. med. facult. in proëmio.

tas fugitiui Mancipij, licet ipsi nunquam viderint, præconio nihilominùs publicant; notas enim ab aliis, qui norunt, accipiunt, ac veluti cantilenam eas proferunt; vt si fortè is, quem præconio indicant, propè adstaret, agnoscere non possent. Quid itaque tam injusto nomine contumeliosus vitiligator vexas Galenum? supinoque animo hoc in vado hæres & hæsitas? Veteres memorias recole? rem Silphij altiùs repete? Theophrastum interroga? fidelis ille accuratus & diligens artis enarrator botanicæ, qui Hippocrate quidem 150. annis junior, Galeno autem senior annis circiter 420. succi Cyrenaïci eliciendi modum siue χυλισμὸν non modò, sed plantæ in-primis genus & formam significabit, ex eo docebo te quæ nescias. *Silphium verò*, inquit ille, *habet radicem longam quidem & crassam, scapum autem vti ferula, ac ferè crassitudine parem*, (ex quo mutilo ac veluti decurtato nomine de illius stirpis magnitudine visus Suidas perperàm subduxisse, quûm φυτάειον appellauit) *folium autem quod vocant maspetum simile apio, semen verò latum, foliosum, tanquam ideò nuncupatum* φύλλον: postmodum de hujus stirpis succo, ejusque educendi arte hæc subjungit, *per 40. dies succum duplicem habet, hunc quidem à caule, illum à radice, ideoque illum* καυλίαν, *hunc* ῥιζίαν *vocant; radix autem nigrum obtinet corticem, quem delibrant: ipsius verò cædendæ est veluti certa quædam mensura, ex quâ quantum visum sit conferre, seruatur ad cæsuram, ac quod reliquum rescindunt. Neque enim fas vltra cædere, neque plus præstituto: corrumpitur quippe & putrescit, quod sine hac arte manat, si moram traxerit. Apparant autem qui deportant in longinquas regiones, hoc modo. Postquam demiserint in vasa & farinam admiscuerint per multum tempus agitant, vndè colorem contrahit, sicque apparatum immune à putredine perseuerat.* Quibus verbis (quanquam aliqua sui parte illa vitium fecerint, lucemque ex aliis

Lib. 6. de hist. plant. cap. 3.

τὸ δὲ σίλφιον ἔχει ῥίζαν με- πολλὴν καὶ παχεῖαν, τὸν δὲ καυλὸν ἡλίκον νάρθηξ σχεδὸν δὲ καὶ τῷ πάχει παραπλήσιον.

τὸ δὲ φύλλον ὃ καλοῦσι μάσπετον ὅμοιον τῷ σελίνῳ. σπέρμα δὲ ἔχει πλατὺ φυλλῶδες οἷον τὸ λεγόμενον φύλλον.

τετταράκοντα ἡμέραις ὀπὸν δὲ διττὸν ἔχει, τὸν μὲν ἀπὸ τοῦ καυλοῦ, τὸν δὲ ἀπὸ τῆς ῥίζης, διὸ καλοῦσι τὸν μὲν καυλίαν τὸν δὲ ῥιζίαν, ἡ δὲ ῥίζα τὸν φλοιὸν ἔχει μέλανα καὶ τοῦτον περιαιροῦσιν, ἔστι δὲ ὥσπερ μέτρα τῶν ῥιζοτομιῶν αὐτῆς, ἐξ ὧν ὁπόσον ἂν δοκῇ συμφέρειν ταμιευόμενοι πρὸς τὰς τομὰς καὶ τὸ ὑπάρχον τέμνουσιν. οὐκ ἔστι γὰρ οὔτε παρατέμνειν, οὔτε πλείων τῶν τεταγμένων, καὶ γὰρ διαφθείρεται, καὶ σήπεται τὸ ἀργὸν ἐὰν χρονίζῃ. κατεργάζονται δ'

Theophrasti locis sibi dari postulent) pretiosæ hujus plantæ character, modusque, & ars delibandi ex eâ succi potest resciri ; ac in-primis quidem plantam fuisse caule seu scapo ferulæ simili, qui nempe foret [a] ἐμφερὴς νάρθηκι, vt post Theophrastum scribit Dioscorides, *caule ferulaceo* reddidit Plinius, scilicet Laserpitium esse μονόκαυλον καὶ γονατώδες, solitario scapo geniculis siue internodiis articulato & distincto, quod ferularum esse scripsit [b] Theophrastus. Etsi nonnullas etiam stirpes vmbelliferas reperias, quæ caule continuo nullisque geniculis intersepto eriguntur, vti fœniculum, quod ideo inter [c] ἐκνευρόκαυλα ipse reponit. Ferulaceum porrò Silphij scapum fuisse, ex nummo illo Cyrenæorum argenteo, cujus iconem proposuit doctissimus Salmasius, obseruare est ; qualem vsque hodie Antiquariorum diligentissimi ostendunt. Ex quo jam necesse tibi est, Bertine, vt juniorem Renaudotum, neque vno hinc nomine diuisui habeas, qui Benjuinum veterum succum Cyrenaïcum affirmauit ; cùm sit arboris vastissimæ gummi, vt jam dixi, de quâ abundè Garcias ab Horto : adde quòd Arabibus ipsis, ne dum veteribus Græcis indictum fuerit, vt idem author testatus est ; nec denique viribus & vsu Silphium veterum representet : immò neque Asam fœtidam, quæ Arabum est Altiht, illud esse (vt temerè nimis Serapionem secuti plerique autumant, & ipse etiam Auicenna) adduci priùs ipse non possum, vt credam, quàm ipsi plantam, è quâ Asa fœtida manet, ostenderint ; quod difficile fatetur in ferendâ sententiâ anceps animi Garcias ab Horto, *Planta*, inquit, *ex qua hic liquor emanat*, *Incolis Anjuden*, *quibusdam Angeidan dicitur ; sed quoniam hoc gummi è longinquis adfertur regionibus, veram plantæ descriptionem habere difficile est.* Sed nec ipsis quoque Indis, nisi vsu notam addit subinde. *Magni*, inquit, *apud Indos est pretij*, *sed neque*

ἄγοντες εἰς τὸν Πειραιᾶ τόνδε τὸν τρόπον· ὅταν βάλλωσιν εἰς ἀγγεῖα καὶ ἄλευρα μίξωσι, σείουσι χρόνον συχνὸν ὅθεν καὶ τὸ χρῶμα λαμβάνει, καὶ ἐργασθὲν ἄσηπτον ἤδη διαμένει

a Ferulam referens.
Lib. 3. cap. 94.
Lib. 15. cap. 3.
b 6. de hist. plant. cap. 2.

c Neruoso caule.

Lib. 1. hist. Arom. Ind. cap. 5.

Lib. de simpl. cap. 251.
Lib. 2. tract. 2. cap. 53.

Hist. Arom. Ind. lib. 1. cap. 3.

radicis, neque foliorum apud eos aliquis est vsus (sunt enim illis incognita) sed solius duntaxat succi, quò plurimùm in venere proritanda vtuntur. Quod si insuper verum sit, quod à quodam accepisse se memorat, Asam ex quâdam plantâ quæ sit foliis Coryli extrahi conciso caule, ne tum etiam Silphium esse dabitur; cujus folium ὅμοιον σελίνῳ ex Theophrasto, Dioscoride, Plinio accipies. Fas insuper adjicere, Asam vires Silphij omninò non referre, quod odoris suauitate olim commendatissimum habebatur, cùm tamen illa odore illutibili nares odiosiùs feriat. Iam verò vt Theophrasti orationem illustrare pergam, eam mancam esse, facilè in animum induxerim, quûm ait, 40. diebus Laserpitium succo prægnare, quibus indubiè tempestiuitatem hujus colligendi designauit, dixerat enim alibi, vbi de Lasere simul verba facit quûm de cæsurâ tædacearum arborum, *sub cane aiunt, nec non calidissimis solibus cædere*, ac deinceps infligendi vulneris modum edocet, cùm ait, *quorum verò caulis cæditur & radix, priùs in his caulis, veluti Silphij*, subjungit postea, *tempus autem cæsuræ norunt Afri.* Genuinam porrò nobilis hujus succi differentiam ille constituit, non solùm ratione partium, è quibus prodit; vnde succus Cyrenaïcus alter è scapo καυλίας, qui humidior ac corrumpi facilis, alter è radice ῥιζίας, qui purgatior sicciorque pellucet. Verùm alia insuper est petita à modo τοῦ χυλισμοῦ differentia, vel enim sponte è vulnere scapi radicisve manabat, (ἀργὸν ideò ille appellauit) quem, ne morâ aut transuectione longinquâ corrumperetur, vasis conditum & cùm farinâ (furfure scripsit Plinius) subagitatum reponebant, quâ ratione etiam καυλίαν à putredine vindicabant, in quam vtpotè naturâ humidior inclinabat [a] *Atque idcirco ad spissamentum farinâ ipsum circumlinunt*, inquit ille; vel arte exprimebatur, quòd innuit, quûm ait,

6. de hist. plant. cap. 3.
lib. 3. cap. 94.
Lib. 19. cap. 3.

Lib. 9. de hist. plant. cap. 2.

ὑπὸ κύνα φασὶ ἐν ταῖς θερμοτάταις ἡμέραις ἐντέμνειν.

ὧν δὲ καὶ ὁ καυλὸς ἐκτέμνεται καὶ ἡ ῥίζα, τούτων ὁ καυλὸς πρότερον ὥσπερ ἐν τοῦ σιλφίου.
τὴν δὲ ὥραν τῆς ἐκτομῆς ἴσασιν οἱ λίβυες.

Lib. 6. de hist. plant. cap. 3.

Lib. 9. de hist. plant. cap. 2.

a καὶ διὰ τοῦτο ἀλευρὸν αὐτὸ περιπλάττουσι πρὸς τὴν πῆξιν.

b καὶ γὰρ τὸν καυλὸν ὀπίζουσι ἐνίων τὰς ῥίζας ὥσπερ τοῦ σιλφίου.

[b] *etenim ſuccum eliciunt è caule & quarumdam ſtirpium radices velut Laſeris.* Quanquam etiam antequam inflicto vulnere ſtirpem cædant, ſoliti ſint Rhizotomi ſic tundere, ad pleniorem, vt opinor, Silphij prouentum, quod ſcripſit, *atque ita è ſcapo ſuccum priùs detrahunt.* Poſtremò addidit, ſuccum Cyrenaïcum ſic condiri ab iis & adornari, qui hujus exercebant commercia ἄγοντες εἰς τὰ πειραῖα. Quæ verba in mendo cubare deprehenſa à doctiſſimo Salmaſio, doctiſſimo item interpreti Danieli Heinſio pararunt offenſionem, quûm præter Theophraſti mentem, ſic reddidit, *Præparant id conficiuntque in Pyræeum portum aduectum hoc modò.* In cauſam enim hujuſmodi σκευασίας Theophraſtus propoſuerat, his ipſis, quæ attinent & præcedunt, verbis, ſuccum è vulnere manantem corrumpi ac putreſcere, ſi diù manſerit, ſcilicet hoc artificio legentium deſtitutum. Quomodo itaque purus putus ſuccus iſte tranſuectionem tam longinquam, atque inſuper maritimam, quâ Cyrenis Athenas deportabant, potuiſſet integer ſuſtinere? neque reuera Plinius, qui verba Theophraſti reddidit, Piræi commeminit, ſed modò dixit, ſic *ad mercis adulteria* condiri. Adulterari quidem ſcripſit Dioſcorides dum ait, *adulteratur totus ſuccus antequam reſiccetur admiſto ſagapeno aut fabæ lomento.* Quod ſi ad Theophraſtum attendamus, nihil hic doli fuit, ſed artis totum id induſtriæ pretioſum ejuſmodi liquorem peregrè comportantium, vt ætatem & mare ferret; proindéque non εἰς τὰ πειραῖα, ſed εἰς τὰ πέραν cùm Salmaſio malim legere; quod authoritate Arriani confirmauit, cui merces, quæ è longinquis regionibus conuehuntur, περατικαὶ audiunt, & περατικὰ φορτία, quibus opponuntur τὰ ἐντόπια. Nunc ad tua pedem refero, BERTINE, quibus hoſpitem & peregrinum in euoluendis veterum monimentis te palam facis, quûm dictatorio more ſine authore decer-

Cap. 2.
Καὶ γὰρ οὕτω τοὺς καυλοὺς ὀπίζουσι πρότερον.

6. de hiſt. plant. cap. 3.
Deuehentes in Piræum.

Lib. 3. cap. 94.
δολοῦται δὲ πᾶς ὀπὸς πρὸ τοῦ ξηρανθῆναι σαγαπηνοῦ μιγνυμένου ἢ ἀλεύρου ἐρεγμίου.

In Periplo maris Erithræi.

nis, *Nec Galeno ignotam Silphij ſtirpem fuiſſe, nec ejus ætate periiſſe.* Falſi autem reuincere te nihil negotij fuerit, fideque antiquorum teſtatiſſimâ contrarium obtinere: rariſſimam in ipſis quinetiam natalibus Silphij plantam longè ante ætatem Galeni fuiſſe, pluribus argumentis cuique veterum monimenta euoluenti obuium expeditumque eſt, ita vt, nec dum liqueat, num ſucci hujus gratia ac in cibo & medicamentis vſus receptiſſimus, vel raritas hujus adeò pretium incenderit? vt ad pondus argentei denarij penſum illum Plinius ſcripſerit. *Multis jam annis* (inquit ille de ſucco Cyrenaïco) *in ea terra non inuenitur quoniam Publicani qui paſcua conducunt, majus ita lucrum ſentientes, depopulantur pecorum pabulo, vnus omninò caulis noſtrâ repertus memoriâ* (arrige aures, BERTINE) *Neroni Principi miſſus eſt*, 80. ſcilicet circiter annis ante Galenum. Documenta raritatis conſtantia, ſi ſuperiora tempora relegas, inuenies; Ecce beatioris hujus exagogæ nomine idem ſcripſit. *Caio Valerio & M. Herennio Coſſ. Cyrenis aduecta Romam publicè Laſerpitij pondo triginta*; faſtos Romanorum conſule? id ante Galenum 235. annis accidiſſe comperies: mox Plinius ſubjungit, *Cæſarem dictatorem initio belli ciuilis inter aurum argentumque protuliſſe ex ærario Laſerpitij pondo Cxi.* quod 190. annis ante Galenum factum eſt. Vndè patet Cyrenaïcæ prouinciæ quæſtores, quò patriæ rebus ſeruirent, quicquid Silphij legere potuerant, totum id corraſiſſe publico demùm ærario conſecrandum. Exemplo raritatis ſingulari Scholiaſtes Ariſtophanis ex Alexandride veteris comœdiæ ſcriptore (audiit enim is κωμωδοποιὸς Athenæo) Ampeliotas Libycam gentem, Cyrenis penè dixerim conterminam & omnium proximam, Delphici Apollinis templo caulem Silphij appendiſſe; quod etiam annotauit Suidas. Accedat pro auctario ipſe Ariſtophanes, qui noſtri

Lib. 19. cap. 3.

In Pluto.

6. Deipnoſophiſt.

Hippocratis tempora proximè attigit, apud quem Sycophanta curuos vt deponat mores Iusto consulenti respondit, se salubribus monitis non obtemperaturum.

οὐδ' ἂν εἰ δοίης γέ μοι τὸν Πλοῦτον αὐτὸν καὶ τὸ βάττου σίλφιον.

-------- ne si dederis mihi
Plutum ipsum & Batti Silphium.

Tantæ porrò raritatis nec ejusdem ponderis & momenti variæ à variis assignatæ causæ. Leuis equidem & dictu planè illa friuola, quam in medium Plinius attulit; id factum nempè Publicanorum qui pascua conducunt auaritiâ, stirpem nobilem pecorum pabulo, quod plus indè fœnoris rediret, depopulantium; Quasi verò hominum conuersa in proprios vsus studia auctione non vicissent? Adjecit in Silphij calamitatem vltimam hosticis incursionibus agrum Cyrenaïcum desolatum Solinus, *apud Cyrenenses*, inquit, *Sirpe gignitur odoratis radicibus, virgulto herbido magis quàm arbusto, cujus è culmo exudat stato tempore pingue roscidum, idque pascentium hircorum hæret barbulis, vbi quûm arefactum inoleuit guttis stiriacis, legitur ad vsum mensarum vel medelis; dictum est primùm lac Sirpicum, quoniam manat in modum lacteum, deinde vsu deriuante Laser nominatum; quæ germina initio barbaricæ impressionis vastatis agris, postea ob intolerandam vectigalis nimietatem, fermè penitùs ipsi Accolæ eruerunt.* Quam de agri Laseriferi desolatione historiam videtur à Strabone accepisse, cùm scripsit, *propè autem fuit vt deficeret hostiliter inuadentibus barbaris & corrumpentibus stirpis radices, sunt verò Nomades.* Ex quo lege Cyrenæorum cautum videtur, ne Silphium peregrè exportaretur, idque inter merces prohibitas fuisse mouent conjecturam Strabonis verba, vbi de Carthaginensium Emporio hæc habet, *Inde alter locus Charax dictus, quo pro emporio vtuntur Carthaginenses aduehentes vinum, deuehentes verò succum & Silphium ab iis acceptum qui Cy-*

Cap. 27.

Lib. 17. Geograph.
ἐγγὺς δὲ ἦλθε τοῦ ἐκλιπεῖν ἐπελθόντων τῶν βαρβάρων κατὰ ἔχθραν τινὰ, καὶ φθειράντων τὰς ῥίζας τοῦ φυτοῦ, εἰσὶ δὲ νομάδες.

Ibidem.
εἶτ' ἄλλος τόπος χάραξ καλούμενος, ᾧ ἐμπορείῳ ἐχρῶντο Καρχηδόνιοι κομίζοντες οἶνον

venis clanculùm exportabant. Verumtamen quid causæ fuerit, vt compressâ tandem hostilitate vltrò ad ingenium beata Silphio Cyrenensium plaga non redierit? Fatetur enim ipsemet Strabo, *Continuò namque verosimile est eam omnem quæ eidem parallelo subiacet regionem secundum aëris constitutionem & stirpium prouentum similem esse, quando vero solitudines vastæ interueniunt, loca omnia nescimus.* Neque aliam sanè causam prætexuit Hippocrates, propter quam Laser vnius agri Cyrenaici sit indigena, locum integrum adscribam. *Subest autem animaduertere quod nisi succum connaturalem planta habuerit, neque illa germinat. Ioniæ namque regio & Peloponnesus non minimùm à solis caloribus exuruntur, ita vt plantis è terra nascentibus sol queat sufficere. Verumtamen similiter nequit multis jam facto periculo doctis, neque in Ionia, neque in Peloponneso Silphium nasci. In Africa autem sponte crescit, non adest enim siue in Ionia siue in Peloponneso talis succus, itavt possit illud alere. Quod vero pleraque alia sole sufficiente regiones nequeant curà enutrire, aliæ autem spontè exoriantur, incumbit & illud, quod sum dicturus, attendere, quantum locus à loco admodum vicino differt, ad vini suauitatem sole similiter sufficiente. Hìc quippe terræ humor adest, qui suaue vinum sit præbiturus, hìc verò minimè; sunt etiam siluestria non pauca in loco aliquo exorta, quæ ad orgyæ spatium translata, nec amplius nasci compereris; neque enim tellus obtinet translata stirpe talem succum, qualem syluestribus stirpibus hæc præbuit. His siquidem adsunt alia virulenta magis, alia humidiora, alia dulciora, alia sicciora, alia vero asperiora, alia etiam sexcenta aliter se habent; sexcentæ etenim in ipsa facultates insunt, ac propter eiusmodi genera primùm nihil è terra alteri simile exoritur, quoniam neque cognatum; siluestria verò mihi videntur hæc omnia esse. Homines autem hæc mitia reddiderunt præstaruntque vt fructum ferant juxta vnumquodque semen. Trahit namque è terra succus similis simi-*

ἀντιφορτιζόμενοι γὰρ οἶνον καὶ σίλφιον, παρὰ τῶν ἐκ Κυρήνης λάθρα κομιζόντων.

Ibidem.

εἰκάζειν μὲν γὰρ ἅπασαν πάρεστι διηνεκῶς τὴν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ παραλλήλου κειμένην τοιαύτην εἶναι, κατά τε τοὺς ἀέρας καὶ τὴν τοῦ φυτοῦ φορὰν, ἐπεὶ δ᾽ ἐμπίπτουσιν ἐρημίαι πλείους, οὐ τοὺς πάντας τόπους ἴσμεν.

4. de morbis.

Παρέχει γὰρ νοηθῆναι, ὅτι εἰ μὴ ἔχει ἰκμάδα κατὰ φύσιν τὸ φυτὸν, οὐ βλαστάνει τὴν ἀρχήν. ἡ γὰρ Ἰωνίη χώρη καὶ ἡ Πελοπόννησος, τοῦ ἡλίου τῶν ὡρέων οὐχ ἥκιστα καίεται, ὥστε δύνασθαι ἐξαρκεῖν τοῖσι φυομένοισι τὸν ἥλιον, ἀλλ᾽ ὅμως οὐ δυνατὸν πολλῶν ἤδη πειραζομένων, οὔτε ἐν Ἰωνίῃ, οὔτε ἐν Πελοποννήσῳ σίλφιον φῦσαι, ἐν δὲ τῇ λιβύῃ, αὐτόματον φύεται. οὐ γὰρ ἐστιν οὔτε ἐν Ἰωνίῃ, οὔτε ἐν Πελοποννήσῳ ἰκμὰς τοιαύτη, ὥστε τρέφειν αὐτό. ὅτι δὲ πολλὰ καὶ ἄλλα, ὅσα τοῦ ἡλίου ἐξαρκέοντος αἱ χῶραι οὐ δύνανται τῶν θεραπευμάτων τρέφειν, ἄλλαι δὲ φύουσιν αὐτόμαται, παρέχει καὶ τοῦτο σκέψασθαι ὃ μέλλω ἐρέειν, ὁκόσον χῶρος χώρου κάρτα πλησιάζων διαφέρει ἐς τὴν ἡδυοινίην τοῦ ἡλίου ὁμοίως ἐξαρκέοντος. ἔνθα μὲν γὰρ τῆς γῆς ἰκμάς ἐστιν ἥτις τὸν οἶνον ἡδὺν παρέξει. ἔνθα δὲ οὔ. ἔστι δὲ καὶ ἄγρια φυόμενα ἐν χωρίῳ οὐκ ὀλίγα: μεταρθέντα δὲ ὁκόσον ὀργυιὴν, οὐκ ἂν

lem ac ijſdem augetur ac nutritur, nihilque ex his quæ è terra prodeunt alteri ſimile eſt. Neque æqualem, neque ſimilem è terra ſuccum trahit quoque in ſe vnumquodque ex alimentis & potulentis, quæ terra ſubminiſtrat plures ab ea facultates. [a] Quibus Hippocratis verbis ſubſcripſit Vitruuius, *Quod ſi terra*, inquit, *generibus humorum non eſſet diſſimilis, diſſimilia & diſparata non tantùm in Syriâ & Arabiâ, in arundinibus & juncis herbiſque omnibus eſſent odores, neque arbores Thuriferæ, neque piperis darent baccas, nec myrrhæ glebulas, nec Cyrenis in ferulis Laſer naſceretur, ſed in omnibus terræ regionibus & locis eodem genere omnia procrearentur.* Verum vndè eadem Cyrenaïci ſoli indoles, eademque terræ gleba à multis retrò ſæculis infelicior Silphium non alit? quaſi mirum deberet videri aliquâ ſui parte, caduca tota cum ſit, naturam defeciſſe, ſicque nonnulla, pro æternâ in caducis lege viciſſitudinis, deſita, quædam penitus interiiſſe; ſiue ſucco illo cuiuſque plantæ genitali ſterileſcente, anniſque effœto, vel exhauſto tandem, aut in aliam degenere naturam, ſolenni in pleriſque ſeminibus adulterio, quod maximè in plantis ſpontè naſcentibus euenit, vt de Laſere proditum eſſe refert Theophraſtus, [b] *Quum vel imbres ingruerint*, inquit ille, *vel alia quædam aëris & terræ proprietas contigerit, ita enim Silphium aiunt in Africâ exoriri piceo quodam & craſſo imbre depluente, ac ſyluam quæ nunc viſitur ex tali aliquâ causâ natam, prius enim nulla aderat*; ſiue igitur cum Theophraſto dixerimus.

Laſeris cœleſtia dona.

In cauſam raritatis & excidij ſatis luculentam dabitur iſthæc fortuita ſyderum indulgentia, agrique inde diuino imbre grauidi vſuraria fœcunditas, quam beato complexu terris oſtendiſſe, & commodaſſe veriùs, quàm dediſſe rerum natura videatur. Plures inſuper in Laſerpitij raritatem & orbitatem aliæ conſpirarunt

ἐυρης ἔτι φυόμενα. οὐ γὰρ ἔχει ἡ γῆ μεταρθέντι τοιαύτην ἰκμάδα οἵην τοῖσιν ἀγρίοισι φυτοῖσιν ἐκείνη παρέσχεν. ἔστι γὰρ αὐτοῖσι τὰ μὲν ἰωδέστερα, τὰ δὲ ὑγρότερα, τὰ δὲ γλυκύτερα, τὰ δὲ ξηρότερα, τὰ δὲ τρηχύτερα, ἄλλα δὲ μυρία ἄλλως ἔχει. μυρίαι γὰρ ἐν αὐτῇ δυνάμιες εἰσί. καὶ διὰ ταῦτα τὰ γένεα ἐκ τῆς γῆς πρῶτον οὐδὲν ἕτερον ἑτέρῳ ὅμοιον ἔφυ, ὅτι μὴ σύγγενες. ἄγρια δέ μοι δοκέει ταῦτα πάντα εἶναι. ἄνθρωποι δὲ ταῦτα ἡμέρωσαν ἐργαζόμενοι καρποφορέειν κατὰ τὸ σπέρμα ἕκαστον. ἕλκει γὰρ ἐκ τῆς γῆς ἡ ὁμοίη ἰκμὰς τὴν ὁμοίην. καὶ τούτοισιν αὔξεται καὶ τρέφεται. καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρῳ ὅμοιόν ἐστι τῶν φυομένων. οὔτε ἴσην οὔτε ὁμοίην ἐκ τῆς γῆς ἰκμάδα ἕλκον. ἕλκει δὲ ἕκαστον τῶν φυομένων βρωτῶν τε καὶ ποτῶν ἐν ἑωυτῷ πολλὰς δυνάμιας ἀπὸ τῆς γῆς.

a Lib. 8. cap. 3.

Lib. 1. de cauſis plant. cap. 5.

b ὅταν ἢ ἐπομβρίαι κατάσχωσιν, ἢ ἄλλη τὶς ἰδιότης γίνεται περὶ τὸν ἀέρα καὶ τὴν γῆν, οὕτω γὰρ τὸ σίλφιον ἀνατεῖλαι φασιν ἐν Λιβύῃ πιττώδους τινὸς ὕδατος γινομένου καὶ παχέος. καὶ τὴν ὕλην δὲ τὴν νῦν οὖσαν, ἐξ ἑτέρας τινὸς τοιαύτης αἰτίας, οὐ γὰρ ἦν πρότερον.

ſpirarunt cauſæ. Prima quod anguſto admodum limite circumſcripta ſint Laſeriferi fundi apud Cyrenenſes ſpatia; quanquam enim illa laxaſſe Theophraſtus videatur, *Locum amplum Libyæ continet, plura enim aiunt quam quatuor millia ſtadia, vt plurimùm verò naſci circa Syrtim ab Eueſperidibus.* Quem etiam ſecutus fidelis interpres Plinius. Hæc tamen explicatioris non vberioris glebæ documenta ſunt; vnde Strabo illam intra mille ſtadia arctauit, *Regio quæ Silphium fert anguſta & in longum exporrecta & ſquallida*, inquit ille, *longitudine quidem ad ortum eunti quanta mille ſtadiorum, latitudine vero trecentorum, aut paulò plurium, atque id notum.* Nec proindè totum Cyrenenſium tractum Silphio feracem voluit Herodotus, ſed modo, *Extenditur à Platea inſula ad oſtia Syrtis Laſeris Regio.* Idem tamen refert in Nomadum Libycorum regione, quæ ſemotior à Cyrenaicâ, Laſerpitium naſci, *Sunt verò muſtelæ in Silphio natæ Tarteſſiacis ſimillimæ.* Quicquid ſit diſſipatas diſjectaſque ſparsìm in arenoſo & ſterili ſolo Silphij ſtirpes reſtat vt dicamus: quod hodiè etiam longè latéque in Barcæ ſolitudinem porrigitur, vt refert Ioannes Leo Africanus. Aliàs certè ſi tantum ſpatij densè conſitum Silphium impleuiſſet, in tanto tractu, inquit Scaliger, ab ea copia vile fuiſſet. Adde nec tantùm ſimul terrarum piceo iſto imbre compluì potuiſſe; neque porrò tam arctis limitibus Silphiū, rerum naturam miraberis, continuiſſe, vbi acceperis vni Iudeæ notum Balſami fruticem, vt ex Dioſcoride ſcribit Plinius, & quod ampliùs in duobus tantum hortis vtroque regio, *In certa quadam Syriæ conualle duos ſolum hortos eſſe aiunt, alterum quidem viginti jugerū, alterum verò multò minorem*, ait Theophraſtus; in Hiericunthis valle concluſit Ioſephus; cujus plantam ab Ægypti & Æthiopiæ Regina ſingulari munere primùm accepiſſe Regem Salomonem idem retulit; hanc tamen cætera viuacem & culturæ non modo patientē, ſed fœcundam,

Lib. 6. de hiſt. plant. cap. 3.

τόπον δὲ πολὺν ἐπέχει τῆς Λιβύης, πλείω γὰρ φησὶν ἢ τετρακισχίλια ςάδια, τὰ πλείονα δὲ γίνεσθαι περὶ τὴν σύρτιν ἀπὸ τῶν ἐυεσπερίδων.

lib. 17. geograph.

ἐςὶ δὲ ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα ςενὴ καὶ παραμήκης καὶ παράξηρος, μῆκος μὲν ὡς ἐπὶ τὰς ἀνατολὰς ἰόντι ὅσον ςαδίων χιλίων· πλάτος δὲ τριακοσίων ἢ μικρῷ πλειόνων τὸ γεγνώριμον.

In Melpomene.

παρήκει δ᾽ ἀπὸ πλατέης νήσου μέχει τοῦ ςόματος τῆς Σύρτιος τὸ σίλφιον.

εἰσὶ δὲ καὶ γαλαῖ ἐν τῷ σιλφίῳ γινόμεναι τῇσι Ταρτησσίῃσι ὁμοιόταται.

Lib. 6. deſcriptionis Africæ.

Animaduerſ. in cap. 3. lib. 6. de hiſt. plant.

Lib. 1. cap. 18.

Lib. 12. cap. 25.

ἐν τῷ αὐλῶνι τῷ περὶ συρίαν παραδείσους δέ φησι δύο μόνους, τὸν μὲν ὅσον εἴκοσι πλέθρων, τὸν δ᾽ ἕτερον πολλῷ ἐλάττονα.

Lib. 9. de hiſt. plant. cap. 6.

Lib. 14. de antiq. Iud. cap. 7.

Lib. 8. cap. 2.

adeò vt nuſquam numeroſior & procerior viſa ſit, quàm Plinij ætate, ſolius Arabiæ felicis indigenam, etſi cultu & diligentiâ quibuſdam Ægypti & Syriæ locis nunc alatur & precariò vigeat; raritate nihilominùs, vt pretio etiamnum videmus commendari. At deterior multò Silpij cōditio altera raritatis ſimul & internecionis cauſa fuit, quam ex hujus ſtirpis indole repetere eſt. Primò quidem quod annuam fuiſſe ejuſmodi Laſeriferam ferulam ex Theophraſto conſtat, ſcribit namque, *eo ipſo anno radicari, & in caulem ſurgere*, annuo ſpatio radice & caule conſummantibus ſe ſe, vt reddit Plinius. Norunt ſiquidem rei botanicæ Candidati, ferulaceas eas plantas in annum viuere, quæ maturioribus in tantum ſunt incrementis, vt in ſcapum eodem quo radicantur anno aſſurgant; id facilè obſeruaueris in Cicuta, Aniſo, Anetho, myrrhidis ſpecie, Caucalide aliiſque ejuſdem gentis. Secundò vero quod coli ſe non ferat, id te docebit Theophraſtus his verbis, *proprium verò illi eſt, quod terram cultam refugiat & certè laboratam jugique cultu manſuetam videtur deſerere tanquam cultu reuera non egeat, fera cum ſit.* Rem feram ac contumacem, & ſi coleretur in deſerta fugientē, vt Latina etiam ex Plinio audias, ſi Græca ex Theophraſto non ſapiunt. Ideoque vbi de diuerſa Cyrenaici agri indole verba facit Strabo ſcripſit. *Media autem regio miſerè incolitur quæ Silphium profert deſerta vt plurimum, aſpera & arenoſa.* Itemque ſubinde, *Hæc enim eſt ſabuloſa & arida Laſerifera regio.* Ex quo rareſcere primùm, inde radicitùs perire Laſerpitio fuit neceſſe, cum ſe aduerſus tot ambientis injurias & minus æquas temporum vices, ſterili quinetiam addictum ſolo, teneritatem natalium ſola eaque annua naturæ indulgentia precario defenderet. Ad hæc quæ diſputando in fidem incogniti ante Galenum ſucci Cyrenaici propoſueram, ſi mutus ipſe vacuas aures accommodaſſes, nuſquam imperitiam illam tuam quæ Hippocrati *malus theſaurus & mala ſuppellex*

Ibid.

Proſper Alpinus Dial. de Balſamo.

lib. 6. de hiſt. plant. cap. 3.
τῷ δ' αὐτῷ ἔτει τήν τε ῥίζαν γίνεσθαι καὶ τὸν καυλόν.

lib. 19. cap. 3.

Ibid.
ἴδιον δὲ τὸ φεύγειν τὴν ἐργαζομένην, καὶ δὴ συνεργαζομένης, καὶ ἀεὶ συνημερουμένης ἐξαναχωρεῖν, ὡς οὐ δεομένην δηλονότι θεραπείας, ἀλλ' ὄντος ἀγρίου.

2. Geogr.
ἡ δὲ μέση φαύλως (ſubaudi οἰκεῖται) ἡ τὸ σίλφιον φέρουσα ἔρημος ἡ πλείστη ἡ τραχεῖα καὶ ἀμμώδης. αὕτη τε γάρ ἐστι καὶ διάμμος καὶ σιλφιοφόρος καὶ ξηρά.

lib. de lege.
κακὸς θησαυρὸς καὶ κακὸν κειμήλιον.

viſa ſemper fuit, eâ fiduciâ ſic publicaſſes & aduerſus rerum veritatem contumacem animum ad ſcribendum deinceps appuliſſes. *Ecquis enim non videt ineptientis fuiſſe atque me hercule raucum reſonantis Echus propalam effutiiſſe, Plantam ex qua legeretur ſuccus Cyrenaicus tempore Galeni periiſſe: qui quidem ſuccus eo vigente tantopere vſitatus vigebat apud omnes, & è quo probatiſſimum tunc temporis habebatur remedium.* Sanus ne es qui ineptè ſiluiſti? jam ſcribis ineptiùs, quum vi ac pondere dictorum exarmatus tuique impos, conuicia, quæ putas, non in me tantum, ſed in communem tibi mihique antè præceptorem quàm collegam, pro rationibus, quas authores grauiſſimi ſuppeditauerant, ſtolidè maledicus hominumq; ingratiſſimus reponis: ſic apud te ſupinæ prorſus imperitiæ conſcium tacere leuiùs eſt, quàm benè doctum ſcitu digna proferre ac raucum loqui, gratulari vel te authore in eo mihimetipſi licet, quod eâ fide, quã leuifidus ejuraſti, fidelis Echo bona illius verba reddam, atque vtinam ſic raucum ſonaſſes tuorũ votis, omnium ſtudiis cumulatè feciſſes ſatis, aut ſaltem cum te ſcribendi vexaret cacoëthes, rebus tuis fuiſſet melius conſultũ, ſi ex doctiſſimis ejus prælectionibus, quibus tot annos publicè in ſcholis noſtris inclaruit, meliùs doceri te mecũ ſtuduiſſes; ſpuriũ illũ ac prorſus rudem ingenij fœtum exterricinum,

Καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα.

tanquam rejiculum ipſo in partu protinus eliſiſſes, communique cum Auguſti Ajace fato maturius juſſiſſes in ſpongiam incumbere: ſed quoniam tam ſalubri lapſus conſilio hæc turpioris ignorantiæ peccata venditas, & vulgi auribus obtrudis, lemam hanc, ſi pateris, tibi detraham. Succum Cyrenaicum longè ante Galeni ætatẽ deſideratum, ſtirpemque Laſeriferã, ignotam licet, jam luculentis adhibitis teſtibus videar abundè confeciſſe, ſi tibi nec dum liqueat, ampliari litem per me licet, nec enim fas genio tuo vti, aut iis moribus indulgere, quibus

propoſitis grauiſſimorum authorum teſtimoniis te ſubducis, eaque breui orationis flexu diſſimulanter declinas, res tuas in vado eſſe arbitratus, *ſi ſolennem ætate Galeni ſucci Cyrenaïci vſum* nobis cruda oratione obtrudendum perſtringeres. Chryſippum imitatus qui ſcribendo tum modo breuis eſſe ſatagebat. *In iis maximè ſermonibus in quibus ineuitabilem propriorum dogmatum errorem perſentiſcit, vult enim arbitror ipſum breui curſim tranſmittere aliàs morâ reprehendendus. Ac mihi videtur veluti in aliis ſermonibus ſtudet apertè enarrare, ita in iis in quibus arguendus venit orationem obſcuritate cum breuiloquentia condit, vt ſcilicet videatur quidem objectis peccatis reſpondiſſe, nec ipſa penitus prætermiſiſſe.* Ita ipſe perſonato & adoptiuo Silphij nomine, litterarum tendiculas ſtruis rerum ignaris, quum apud te rationes ſic jacent, judicium ſilet, veteris Laſerpitij Cyrenaici probati nominis vitium imperitiâ imprudens addidiſti. Faciam ergo vt verum diſcas diſcere, hancque ſubditiui ac ſuppoſititij Silphij nomine ſeditionē, quam excitaſti, in tranquillum juſtis authoribus denuò conferam. Ecce qui neſcis dudum eſt ex quo congeminauit Silphium, remque feciſſent compendij veteres ac nobiſcum bene actū foret, ſi cum vetere formâ nomen abſtuliſſent, nec tibi reliquiſſent integrum aliâ veterum Silphium induere naturâ ac interpolare formâ: Tu Galeni, quo vſus eſt, Silphium numquā hodie facies vt ſit veterum, atq; adeò notus ille Hippocrati ſuccus Cyrenaïcus. Vide ſis ſigni quid ſiet ne Silphium appelles falſo nomine, vtere proprio & patrio, aliam enim à Silphio legitimo & veterum Cyrenaico plantam hanc fuiſſe nomine, natalibus, formâ, viribus te docebit Theophraſtus, *Quæ autem vocatur magydaris alia eſt à Silphio, tenerior enim minuſque acris & ſuccum non reddit, oculis vero id manifeſtum eſt & peritis; naſcitur namque in Syria, non autem Cyrenis, aiunt vero hujus plurimùm quoq; creſcere in Parnaſſo monte, quidam autem hanc etiam Silphium vocant,* ac ratio fortè adoptiui

Galen. 3. de decret. Hipp. & Plat. cap. 4.
ἐν οἷς μάλιστα λόγοις ἄφυκτον αἰσθάνεται τὸ σφάλμα τῶν ἑαυτοῦ δογμάτων. βούλεται γὰρ οἶμαι παρατρέχειν αὐτὸ διὰ ταχέων, ἀλλ' ὑπομένων ἐξελέγχεσθαι. καί μοι δοκεῖ καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις λόγοις ἀγωνίζεται σαφῶς ἑρμηνεύειν, οὕτως ἐν οἷς ἐξελέγχεται συγκρύπτειν τὸν λόγον ἀσαφείᾳ μετὰ βραχυλογίας. ἵνα δηλαδὴ δοκῇ μὲν ἀπολελογῆσθαι πρὸς τὸ ἔγκλημα καὶ μὴ παρεληλυθέναι τελέως αὐτό.

6. de hiſt. plant. cap. 3.
ἡ δὲ καλουμένη μαγύδαρις ἑτερόν ἐστι τοῦ σιλφίου, μανώτερόν τε καὶ ἧττον δριμύ, καὶ τὸν ὀπὸν οὐκ ἔχει. διάδηλος δὲ ἐστι καὶ τῇ ὄψει καὶ τοῖς ἐμπείροις. γίνεται δὲ περὶ Συρίαν, καὶ οὐκ ἐν Κυρήνῃ, φασὶ δὲ καὶ ἐν τῷ Παρνασσῷ ὄρει πολλήν. ἔνιοι δὲ σίλφιον τοῦτο καλοῦσιν.

nominis hinc fuit, quod Laſeris Cyrenaïci cum non foret copia, quibuſdam dotibus illi cognata ſtirpe vterentur, *legitur & alia magydaris in Libya*, inquit Dioſcor. *radix ſimilis Silphio, minùs tamen craſſa, acris & laxa ſuccum non habet, eadem autem præſtat ac Silphium:* Theophraſti verba ſic Plinius reddidit, *alterum genus eſt quod Magydaris vocatur tenerius & minus vehemens ſine ſucco quod circa Syriā naſcitur non proueniens in Cyrenaïca regione; gignitur & in Parnaſſo monte copioſiùs quibuſdā Laſerpitiū vocantibus per quæ omnia*, addit ille, *adulteratur rei ſaluberrimæ vtiliſſimæque authoritas*. Id te ampliùs docuiſſe potuerat Tzetzes.

Lib. 3. cap. 94. λέγεται δὲ καὶ ἑτέρα μαγύδαρις ἐν Λιβύῃ ῥίζα παρεμφερὴς σιλφίῳ, ἧττον δὲ παχεῖα, δριμεῖα καὶ χαύνη, ὀπὸν μὴ ἔχουσα. ποιεῖ δὲ τὰ αὐτὰ τῷ σιλφίῳ.

Chiliad. 6. Sect. 4.

Δύο δέ εἰσι τὰ σίλφια, τὸ μὲν ἐκ τῶν εὐώνων,
Τὸ δὲ πολυτιμότατον ὅπερ οἱ Κυρηναῖοι,
Τῷ Βάττῳ προσηνέγκαντο χάριν εὐεργεσίας.

Duo ſunt Silphij genera, vnum vile, alterum pretioſum quod Cyrenæi Batto obtulerunt beneuolentiæ ergo.

Si itaque ſubinde legas apud Arrianum, *in ejuſmodi monte Caucaſo nihil aliud præter quam Terebenthi naſcuntur, & Silphiū, vt narrat Ariſtobulus*, & apud Strabonem Ælianumque integrum Alexandri exercitū languenti ſtomacho feciſſe Silphio Medicinam, apud Theophraſtum naſci in Syria, abundè in Parnaſſo; Apud Dioſcoridem in Armenia quoq; Media & Libya; Apud Iſidorum in Monte Oſcobagi, vbi & Ganges fluuius oritur non aliud Laſerpitium quam ſecundarium illud & ὑποβολιμαῖον deinceps cogita, cujus etiam ex Libya magnam vim in Italiam deportari ſolitam Plautinus ille ſeruus Trachalio te admonet, ſic enim Dæmonem ſenem interrogat.

Lib. 4. de geſt. Alexand. ἐν γε τούτῳ τῷ Καυκάσῳ οὐδὲν ἀλλ' ὅτι μὴ τέρμινθοι πεφύκασι καὶ σίλφιον ὡς λέγει Ἀριστόβουλος.

Lib. 15. Geograph.

Ælian. hiſt. Var. lib. 12. cap. 37.

Lib. 17. Orig. cap. 9.

Succenturiatum.

----- teque oro & quæſo ſi ſperas tibi,
Hoc anno multum futurum Sirpe & Laſerpitium,
Eamque venturam exagogam Capuam ſaluā & ſoſpitem.

Nec quæſito faciente ſatis Dæmone ſene mox rurſus inſtat.

--- ſeu tibi confidis fore multam Maguderim.

Quam quidem ſtirpem an dotibus & vſu legitimo Laſerpitio reſponderet? ex variis documentis inquirendū reliquit Theophraſtus, *ſi vero cultum vti Silphium refugit*,

lib. 6. de hiſt. plant. ca. 3 εἰ δὲ φεύγει τὸ ἐργάσιμον, inquit,

attendendum est, similiter quoque si quid ei simile aut proximũ præ se ferat foliis aut caule ac in vniuersum si lacrymam emittit. Non esse vero Magudarim adeo ferâ ac legitimum Silphium indole, vt cultum omnem respuat; quin potius agricolæ operam vberiore messe rependere legere est. Idem vero de eo succo Cyrenaïco fatetur Galenus, quo sua ipsius ætate solenne erat vti, ita namque ille loquitur quum de medicamento ex Euphorbio parato meminit, *Dictum à me est priùs quod viribus multum recedit à recenti vetustum Euphorbium, si igitur hornum fuerit magis excalfacit quã succus Cyrenaïcus ac præsertim is* QVO NVNC VTIMVR (Quid ad hæc, BERTINE,) *ex eo quod stirpes aqua irrigent vt crescant fœlicius, sicque ad copiam succi proferendi præparant*, compone Theophrastum cum Galeno, vtriusque Laseris qui nescis aut malè dissimulas diuortia, Succus Cyrenaïcus culturæ impatiens erat, is vero, quo vtebatur Galenus, ejusque vigebat ætate cultu ditabat cultores suos. In viribus quoque discrimen agnouit Dioscorides, *Cyrenaïcus quidem etiamsi quis minimum huius degustauerit humores commouet per vniuersum corpus, odore suauissimus est, itavt nec gustantis os quidquam nisi minimum exhalet. Medicus vero & Syriacus viribus sunt inferiores ac virulentiorem odorem spirant.* Cujus discriminis causas recensuit nec definiuit Strabo vbi de Media. *Profert etiam Silphium hæc regio, ex quo Medicus dicitur succus, longè inferior Cyrenaico est etiam & quod ab eo differat ob locorum discrimina aut stirpis demutatam speciem aut propter eos qui succum eliciunt & præparant, vt duret vsuique reponatur.* Quod innuit quoque Plinius, *diuque jam non aliud ad nos inuehitur Laser quam quod in Perside, aut Media & Armenia nascitur largè, sed multò infra Cyrenaicum:* nihilominus legitimi Cyrenaici succi inopia hujusque illi succenturiati cognatione virtutis etiam ante Galeni tempora factum est; vt vsum inuenerit, arrogatione retinuerit nomen; sic in locum Cyrenaici

ὥσπερ τὸ σίλφιον σκεπτέον ὡσαύτως δὲ καὶ εἴ τι ὅμοιον ἢ παραπλήσιον ἔχει φύλλου τε πέρι ἢ καυλοῦ καὶ εἰ ὅλως ἀφίησί τι δάκρυον.

lib. 3. de compos. med. per genera cap. 4.
λέλεκταί μοι καὶ πρόσθεν ὡς ἀπολείπεται πάμπολυ τοῦ νέου τὸ παλαιὸν εὐφόρβιον· ἂν μὲν οὖν αὐτοετὲς ᾖ καὶ τοῦ Κυρηναίου μᾶλλον ὀποῦ θερμαίνει, καὶ μάλιστα τοῦ νῦν. ἐξ ὅτου δι' ὕδατος ἀρδεύσεως αὐξαίνουσί τε τὰ φυτά, καὶ πρὸς πλῆθος ὀποῦ γενέσεως παρασκευάζουσι.

lib. 3. cap. 94.
ὁ μέν τοι Κυρηναϊκὸς κἂν ἐπ' ὀλίγον τις αὐτοῦ γεύσηται ἰκμάδα κινεῖ καθ' ὅλον τὸ σῶμα, τῇ τε ὀσμῇ προσηνέστατος, ὥστε γευσαμένῳ τὸ στόμα μὴ δὲ πνεῖν, εἰ μὴ ἐπ' ὀλίγον. ὁ δὲ Μηδικὸς καὶ Συριακὸς τῇ δυνάμει εἰσὶν ἀσθενέστεροι καὶ βρωμωδεστέραν ἔχουσι τὴν ὀσμήν.

Lib. 1. Geograph.
Φέρει δὲ καὶ σίλφιον ἡ χώρα, ἀφ' οὗ ὁ Μηδικὸς καλούμενος ὀπὸς πολὺ λειπόμενος τοῦ Κυρηναικοῦ, ἔστι δὲ ὅτε καὶ διαφέρων ἐκείνου. εἴτε παρὰ τὰς τῶν τόπων διαφορὰς, εἴτε τοῦ φυτοῦ κατ' εἶδος ἐξαλλάττοντος, εἴτε καὶ παρὰ τοὺς ὀπίζοντας καὶ σκευάζοντας, ὥστε συμμένειν πρὸς τὴν ἀπόθεσιν καὶ τὴν χρείαν.

Lib. 19. cap. 3.

Medicum ſuccum Galenus ſubſtituit vbi medicamenta neruorum vulneribus commoda commemorat, *Rurſus vero ſucci calefacientes, optimi tenuium maximè partium cùm ſint atque omnibus iam perſpectum eſt primas obtinere ſuccum Cyrenaicum, eo verò non comparente, Medico vtimur, iiſque qui cum ipſis ab orientalibus plagis aduehuntur, quale eſt dictum ſapagenum.* Ex quo loco caſtigandus ille quo ſuffecit ἀντὶ ὀποῦ κυραικοῦ ὀπὸν συριακὸν & legendum κυρηναΐου aut κυρηναϊκοῦ. Cujus Syriaci ſucci inter dentium remedia meminit Dioſcoridis σύγχρονος ducentis fermè ante Galenum annis Aſclepiades. His quibus nemo non alius à te melius doctus herbam porrigeret, ſeque in errore manifeſtario palam deprehenſum, quod humanum eſt, continuò fateretur, omni pudore poſito nihil reueritus numen veritatis audes ampliùs obnuntiare, ecce enim dum animo obſequeris tuo, ruditati ac imperitiæ peruicaciam adjeciſti, qua ſine mente & fronte calido mendacio hanc tuam appendicem his verbis concludis. *Niſi velit Galenum, quod inſulſiùs aiebat, longè ante intellecto agri Cyrenaïci excidio, nec non indigenæ nobiliſſimi Succi præuiſo interitu, hujus ſibi magnam copiam comparaſſe, ne hac dum viueret vſquam Antidoto nepotumque poſterior ætas carere poſſet in ægrorum ſolatium,* Siccine pergis argutarier, & vernilitate vernacula verna verba funditas? quum ludos ſeria ducis, ac Ioculari mendacio tuam inſtruis & claudis comœdicè appendicem. At te mendacem memorem eſſe priùs oportebat, nec quicquam imprudentem blatire, quod ejus cauſæ quam defendendam ſuſcipis obſtinatiùs (tantùm tibi animi addidit imperitiæ contubernalis temeritas) jugulum petat. Si namque vti hac oratione malo tuo infortunio compoſitis confutiſque mendaciis de me fingis, inter diſputandum dicebam, Galenum futuræ hujus calamitatis præſcium magnam vim ſucci Cyrenaici ſibi aut Nepotibus, ne periret, prouidentiſſimo ſtudio cumulaſſe, ac

Lib. 3. de compoſ. med. per genera cap. 2.

Τῶν δὲ αὖ θερμαινόντων ὁποὶ καλοὶ λεπτομερέστατοι τυγχάνουσιν ὄντες. καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἤδη γινώσκεται προτεύων αὐτῶν ὁ Κυρηναῖος ἀλλὰ τούτου μὴ παρόντος, καὶ τῷ Μηδικῷ χρώμεθα καὶ τοῖς μετ' αὐτῶν ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν χωρίων κομιζομένοις, ὁποῖος ἐστι καὶ ὁ σαγαπηνὸς ὀνομαζόμενος.

Lib. περὶ ἀντιβαλλομένων.

Pro Cyrenaïco ſucco, ſuccum Syriacum.

Lib. 1. internor. laudato à Galeno lib. 5. de compoſ. med. ſecund. locos cap. 9.

veluti Promumcondum frugique futurum diribitorem condidisse. Qua id stare potuit ratione? quûm quod mearum reuera erat partium, me insimul vis contendisse, Laser ipsumque succum Cyrenaicum pluribus ante natum Galenum annis funditus periisse. Vnde enim quæso tam benè multam succi Cyrenaici exagogam non sperare modo, sed seruare ac recondere potuisset? Quam stupido & bardo vide sis ingenio, qui rem tuam sic malè cures, tibique ipsi impeditissimo amplies negotium. Si hæc, quæ non tantùm comminisceris, sed scribis, dicebam, ecquid tum silebas, cum adeò manifestè pugnantia loquerer, ô sublestam fidem cum inscitiâ inconsultissimâ conjunctissimam? tantùm scilicet ætatis succum Cyrenaicum ferre posse, & conditiuum integris viribus durare, quia nesciebas qui talia mihi affingere ausus, sic verbis quæ disputando habui tu scribendo fidem frausus: hoc te etiam communi præceptori ingratissimum ex eius scriptis docebo, quæ propria manu transcripsisse mihi summo beneficio, tibi vitio quod aliquando verteres, meo periculo in dies sentio: Ex quibus, hæc quæ ad te scribo quò à tam supina materiæ medicæ ignorantia reuocarem magnam maximam partem excerpta & descripta velim amplius intelligas. Is igitur Galeno adhibito authore me docuit, calida hæc & igneæ omninò substantiæ tenuiumque partium simplicia medicamenta vix annos pati, ac stirpium succos maximè, sic vt potentissimum inter eos & viribus præcipuum Euphorbium, quum hornum est, ab hinc labentibus annis deficiat à recenti nec lustrum virtus quadriennio effœta queat durare. Desinas ergo tandem talia effutire ac scribere, aliusque quam sis cum videri sublimis gestias, personam tute tibi sic scribendo ne detrahas, ex quo nemo etiam Collegarum auditorumque futurus est, qui rebus tuis meliùs à te consultum ante tacendo quàm nunc scribendo non judicet.

Lib. 3. de compos. medic. per gen. cap. 4.

FINIS.



PHILIPPI DOVTE' DOCTORIS MEDICI PARIS.

ANTIRRHETICVS PRO DIATRIBA DE SVCCO CYRENAICO.

Aduersus BERTINVM DIEVXIVOIE, *ejusdem Facultatis Doctorem.*



AM sibi graui quàm tibi turpi veterno sepultum familiarium non pauci te mirabantur, BERTINE, sic ore compresso altum stertentem, ad justum nostræ (tuis etiam ingratiis id jure dixerim) Diatribæ nomen necdum excitatum illi attoniti suspiciebant; vix plerique ex iis, qui te intus & in cute norunt, habere sibi poterant persuasum, quî fieret, vt tantùm veneni & maleuoli animi in optimos quosque è nostro ordine eruditionis fama Principes domi otiosus aleres, ac tamdiu contineres; cujus egregium planè specimen breui-

culâ quindecim linearum Appendice, tanquam luculenti immœnisque facinoris præcidaneâ tesserâ, dudum dederas feceraſque compendi. Eccere tandem perſonatus atque tinctus ora fuligine ex orco lenæiſque adytis erumpis, BERTINE, ac conquiſitis redemptiſque tui rerumque tuarum per-quam ſtudioſis latronibus comitatior ex eoque vomentum de numero fidentior

Virus & ingentes animos de crimine ſumis.

Eos ſcilicet animos induiſti, tanquam ex Chamæleontis pullitie nuper editus, queis captares auram, quam hocce ventulo ac rumuſculis inter plebeios gloriolam ſcribendo ſuſcitares, nomenque tibi ex aliis quæreres, de aliis creſceres, ac benè multi de te reſcirent te prouocare, me timere, te ſcribere vt doctum, me viciſſim tuoque exemplo tacere vt imperitum: ac tandem nactum eſſe qui noſtræ Diatribæ legem poneret. Ita ipſe mutato tandem conſilio oris proſtituti ſymbolum clam adhibitis operis conductitiis nobis palam daturus prodis; ſed quam infeſto genio ſiniſtrâque Promercalium iſtorum Eraniſtarum Mineruâ hâcce vſurariâ reſponſione res tuas malè perditas promoueris, docti omnes & æqui hujus de Silphio ſuccoque Cyrenaïco controuerſiæ cognitores comparatis excuſſiſque hinc inde inſtrumentis viderint. Quamobrem cum eos conſtitutos tibi mihique arbitros vnicè colam ac velim, nihilque quod ſolidam Diatribæ fidem eleuare poſſet ſecundariâ opellâ perfeceris, quûm eâdem ſemper, etiam monitus, oberres chordâ, nec de eorum tribulium, quorum eo in negotio operam rogaſti, vſus es conſortio, inſtructior ſed impudentior ad genua veneris: mihi certè erat procliuiùs quàm tibi vitiligatori ſtolidiſſimo à reſponſione temperare. Ecquid nempe tum demum rei tecum foret reliqui? qui indiligentiæ inſcitiæque liquidò delatus ſcripto

conuitiator, deprehensus inde, damnatusque, herbam ne porrexisse videreris, haud alio consilio *Appendicis de liquore Cyrenaïco defensionem* conflari curauisti, quæ sub tuo demum nomine typis exiret, quàm vt pro Mineruali in sinum meritissimi Præceptoris, qui te Artis nostræ tyrunculum publicè pluribus annis docuit, è candidato scripsit Baccalaureum, tandem è Baccalaureo emerito in Collegam Doctoremque vicissim officiosissimè succollaturus erexerat, oris putidissimi conuitia sine fronte & lege, hominum ingratissime BERTINE, recenti hocce flagitio despueres; adeò totus in his es, in argumento de Lasere inter nos agitando, quod ejus doctissimæ prælectiones suppeditauerant dictauerantque, planè nullus; quippe qui vnum hoc bene doctus accurato silentio, necnon artifici dissimulatione quæ vexabant de medio subducere, alieno nostra violare interpretamento, callidus sarcinator interpolare, omnibusque tandem admotis machinis velis remisque in diuersa concedere; vbi tam multa quæ in Medicis tractandis hospitem & peregrinum malè haberent, mouerentque stomachum, offendisses. Quanquam enim apud me qui perfidum tuo exemplo dicere sacramentum non didici, ac Præceptorem illum, velis nolis quondam tuum, nunc etiam meum pro solenni nostræ inaugurationis die concepto voto parentis loco sim nullo non tempore habiturus, illa quæ vna semper constabit ratio officij & pietatis postulare videretur, vt stylum in te tam illustri nomine & titulo conuerterem, quæque male sanus venditariâ factiosus linguâ impudenter deblaterasti, in os protinus regererem. *Genus siquidem pietatis est in illos distringere, qui contra naturæ ordinem sceleratis se docentur actionibus miscuisse.* Nisi viri omnium domi forisque virtutum plenus ille moderationis animus ab eo me instituto reuocasset, nuperoque

Cassiodor. lib. 2. var. sect. 14.

exemplo ſimul docuiſſet, ſic dari de ſe fidem jejunis adeò calumniis illum non poſſe ſuſtinere, qui admiſſo in ſe publico flagitio, etiam tum quum vlciſci datum eſſet, nec rogatus generoſiùs indulſerat. Conuitia iſthæc, queis differre injurioſius paras, habet ille veluti δείγματα χορέων, vt de maledico Chreſto Sophiſtâ Byzantino aiebat Adrianus Tyrius. Deorum injurias diis curæ eſſe nihil maledicis in ſe licere ſermonibus, quos recti conſcius deſpuit deſpicitque, ſatis is intelligit, qui parem hunc meritis ampliſſimi ordinis judicio honorem vnus ſibi vendicat, vti valeat contemnere non contemni. Etenim nunquid is contemnitur, qui imperium, qui faſces habet, à cujus moderatione hodiernâ die etiam referas iſtud beneficium tuæ mediocritatis, vt miſericordiâ quàm irâ Cæſaris hæc tua legentibus mendacia eô dignior videaris, quòd te nec dum vinum defecerit, tibique violatis infami ac nefario perjurio Majorum legibus impunè conuitiari, in eumque ſcribere per ſummam veteris diſciplinæ injuriam noſtrorumque, prô pudor! temporum feſcenninam pluſquam licentiam liceat, qui cum poſſet meritiſſimo proſcribere, ac pro authoritate exauthorandum hominem maledicentiſſimum coercere, & in ordinem cogere, pro te bonæ mentis vota ἀγαθῷ δαίμονι, benigno clementique animo, bonis omnibus, feſto die tibi cum paucis ſimilibus nefaſto, nuncupauit. Sic vt vel vno diſcipuli, quanquam omnium omni ex parte indigniſſimi titulo omnia iſthæc tua furioſæ mentis peccata velit & cupiat condonari, hancque vltimam famæ naufrago tabulam ſui tuique memor, communis humanitatis benè conſcius humaniſſimè porrigat. Quæ igitur iterum in te, vel potius de Silphio ſcribendi cauſa me prouocet, ſi quis requirat BERTINE? liberè dicam, hoc ſcripto Antirrhetico veluti remulco quodam etiam

Philoſtr. de vit. Sophiſt. lib. 2.

Tiberius apud Tacit.

atque etiam tui ſollicitior allaborare pergo, vt ab inſidioſis iſtis vadis, in quæ locorum neſcius impegiſti, tandem emergeres; quod ex animi ſententiâ ſpes eſt etiamnum fore, ſi ad te rediturus aures teſtatiſſimæ rerum veritati tandem aliquando accommodaueris, nec quod indolis in frugem meliorem ſupereſſe tibi percupio, ſuperbus iſte & impotens, quem præ te fers, in errore animi tumor furorque funditus decoxerit. Neque vero ruditatis & imperitiæ in re Medicâ quum te detuli, ſparſâ in vulgus de me injurioſâ, de re mendaciſſimâ Appendice prouocatus locupletiſſimos certiſſimoſque teſtes è veterum monumentis excitaui, nec auritos modo, ſed oculatos palàm adhibui, qui falſi reuincerent, injuriæ loco habere debes? in has ſcilicet famæ nominiſque anguſtias inſanum illud ſcribendi cacoethes gratis injurioſum te conjecerat, malum domi benè conditum conſcioque benè tutum ſilentio inconſideratiùs mouiſti, tute hoc intriſti, omne tibi exedendum fuit. *Si namque*, vt ais, *obſeruatiunculam exaraſti, vt in quas diſputando verborum rerumque repugnantias incurriſſem, eas dumtaxat animi gratia in aliquas ſtudiorum priuatas rationes apud te referres.* Præfat. pag. 2. linea 12.

Membranis intus poſitis delere licebat, Horat. lib. de Art. Poetic.
Quod non edideras, neſcit vox miſſa reuerti.

Ecquid mutato propoſito ipſe adeò temerè prælo commiſiſti, ipſe publicaſti, tu ipſe erroris ſceleriſque proxeneta; doles interim communicatum, qui Pag. 5. ſeriò ac maturè monitus jurares vt calumniam, datoque communibus amicis juſto ſatis ſpatio vt reſipiſceres, antequàm de edendâ Diatribâ quicquam eſſem meditatus, tùm pertinaci maledicendi ſtudio victus, cùm ſequiore impulſus conſilio recuſaſti. Hæccine injuria eſt quod ſcripſerim? quum eò res tuas meaſque ſimul loco eſſe tum temporis voluiſſes,

vt turpiſſimâ præuaricatione errori tuo ac imperitiæ velificandum mihi fuiſſet neceſſe, aut juſtâ alioqui pro me, pro rei geſtæ veritate juſtiore, pro veterum denique doctrinâ ſuſceptâ juſtiſſimâ defenſione profliganda veniret temeritas ſcribentis; durum id quidem à me denuò ſuſceptæ prouinciæ tibi futurum recipiebam, quod ferociùs petulanti bilem in nares conciret, conſciumque grauiùs hinc adurgeret cordolio non ſatis fideli apud te ſilentio tutum facinus. etenim

Si vera dicam, tibi Voluptati haud ero;
Si ſim Voluptati, haud tibi vera dixero.

Εἰ μὲν φράσω τ᾽ ἀληθὲς οὐχὶ σ᾽ εὐφρανῶ,
Εἰ δ᾽ εὐφρανῶντι σ᾽ οὐχὶ τ᾽ ἀληθὲς φράσω.
Agatho apud Athenæum lib. 5. Deipnoſoph.

Nec diu tamen animi pendens hæſi anxiuſque fui, vtri litandum eſſet tuo errori, an veritati? Vter igitur noſtrûm injuriarum tenebitur vide ſis, BERTINE? Injuria eſt omne quod jure non fit, aiunt ex ipſius vi nominis Iuriſperiti, ad hanc normam æquus ſi per eum inconſiderati animi, qui necdum deferbuit, impetum licet adhuc aut potes, tua & mea exige, Appendicem quam domi compreſſo dudum maleficio continueras, poſt alta ſilentia in vulgus ſparſiſti, admouiſti pro igniario quo Veterum melior audita noſtris in Scholis cum nomine doctrina; atque à nobis aduersùs reſpondentem Baccalaureum Ludouicum Gallais, te muto Præſide, pro inſtitutæ diſputationis lege & ordine propalàm vindicata funditùs peſſundaretur, jamque ſcripta protinùs Diatriba, cujus etiamnum publicandæ is ipſe mihi author, qui tibi ſubſcripſit Vir clariſſimus; recèns patrati ſceleris reſtinctæ faces videbantur penitùs deflagraſſe ac vires poſuiſſe incendia: cùm ecce pejus ſanis vſus conſultoribus operiſque conquiſitis me iterum ſcriptâ ac vulgatâ pro tua Appendice defenſione prouocaſti, quâ te nouâ atrocioris injuriæ acceſſione, quanquàm nexum ampliùs atque ampliùs pluſquam Hip-

pocraticis vinculis, reum falsijurij ac falsiloquij impedias. Vernaculis nempe ſutelis artibuſque gentilibus vnum viſus es ſtuduiſſe, vt propitios ſuffragatores minuſque cautos demereres, iiſque, qui hanc legerent, ſincerè à me propoſitæ rerum veritatis internoſcendæ aditum omnem occupatis ſuffragiis malitioſiùs præcluderes. Faciam itaque hocce noſtro Antirrhetico, vt conſilij hujus mei ratio doctis omnibus & æquis lectoribus ſe ſe approbet, *& quando qui injuſtè impetum in quemquam facit, aut irâ, aut aliquâ perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio; qui autem non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio quàm ſi parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat.* Cicero 1. de officiis. Neque animo, nec ſcripto tibi aut cuiquam alteri injurium tum fuiſſe, quum vera de Silphio, verâ fronte dixi, veriora de te latinè, quod non ſapis, ſum locutus, ſincerâ fide recognitis & ſuppeditatis à te inſtrumentis litis hujus denuò ampliandæ penitùs reuincam ac pergam:

Auriculas teretes mordaci radere vero. Perſ. Satyr. 1.

Sic vt tandem omnibus fiat manifeſtum, os illud quod exaratæ ſulco profundo Diatribæ abundè ineſſe, omnibuſque acceptum fuiſſe reſcio, tibi iterum in reſpondendo prorsùs agnoſcas defuiſſe; cumque communis illa cum Eraniſtis ὁμοκάπνοις ingenui nihil aleret officina, genuinum quem in ſcriptis noſtris actus domeſticis, velut alter Oreſtes, furiis rabiosè fixiſti, radicitùs fregiſſe. Verùm ab hac, quam iterùm ſubire auſus es, arenâ, nè mihi excidas, ac ſuſpenſo gradu flexuve meditato profugum Protea, rerum quidem inanem, at doli plenum te ſubducas, cominùs veſtigiis conſequar

Omnibus atque locis adero, dabis improbe pœnas.

Ecce quàm accurato ad recti verique ſpeciem, ad famam illuſtri ac ſplendido diuæ Cloacinæ factu-

rus, animi æger, vt ille apud Hippocratem Adolescens in foro mendacium, Apologetici titulo vestibulum ipse exornas, eoque tectorio famosæ scriptionis idolum superinducis, ac more canum, Majorum cineres, in quos posito omni pudore & religione sacramenti minxisti, excitato puluere adobruis.

3. Epid. sect. 3. ἐπὶ ψευδέων ἀγορῇ.

Ad Appendicis de liquore Cyrenaico defensionem Præfatio.

Ne præfixæ forsan huic Apologetico, &c.

Ita præfaris, BERTINE, tritum vsurpatumque iis, qui in errore versantur, callem secutus, hæreticorum moribus, exemplo, consilio, operâ denique vsus, Apologetici præfixo arrogantiùs nomine tanquam Ægide tutus dato signo in aciem prodis; idem quippe de te, ac de Eunomio hæretico apud Basilium possum meritò pronuntiare, tibi scilicet falsâ responsionis specie errores tuos venditanti, subdolo facinore istam contradicendi formulam excogitatam fuisse: ne primo loco peruersa ignorantiæ & conuitiorum plena scripta sponte videaris emisisse; verùm ex necessitate appulisse animum ad hoc genus scribendi. Neque tamen rebus tuis perditis hunc titulum inuiderem, BERTINE, nisi præferres inanem. Si namque Philosophum consulueris, τὸ ἀπολογητικὸν in eo totum esse accipies, vt quæ errori vel crimini objiciuntur continuò dissoluantur, quod, eodem docente, vt præstares, enitendum fuerat ostendere, nihil eorum, quorum te detuli, te patrasse; aut si fateri fores coactus, totum à te gestum negotium jure, lege ac vtilitate non carere: eo denique voto vbi excidisses, per imprudentiam casuve quodam admissa oportebat illicò profiteri, eoque nomine deprecari veniam. Verùm nulla ex his purgandi tui, nominisque

Diuus Basilius, lib. 1. aduersus Eunomium. Πρῶτον μὲν γὰρ αὐτῷ πάντων κακούργημα, τὸ σχῆμα τοῦτο τῶν λόγων ἐπινενόηται ἐν ἀπολογίας εἴδει τὴν διδασκαλίαν συνθέντι ἵνα μὴ δόξῃ προηγουμένως ποιεῖσθαι τῶν δογμάτων τῆς ἀσεβείας τὴν ἔκθεσιν, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης ἐπὶ τοὺς λόγους τούτους ἐληλυθέναι.

In Rhetor. ad Alex. c. 5. τὸ δὲ ἀπολογητικὸν ἁμαρτημάτων καὶ ἀδικημάτων κατηγορηθέντων ἢ καθυποπτευθέντων διάλυσις.

τὸ δ᾽ ἀπολογητικὸν διὰ τριῶν μεθόδων συνίσταται, πόθεν ἄν τις ἀπολογήσαιτο. ἢ γὰρ ἀποδεικτέον τῷ ἀπολογουμένῳ ὡς οὐδὲν τῶν κατηγορουμένων ἔπραξεν:

que vindicandi ratio accepta eſt: Ecce enim illatam Collegæ, Præceptori, toti demùm ordini injuriam ſatis habuiſti frontis, vt recenti conflato communicatoque cum ejuſdem farinæ hominibus ſcelere defenderes, vt à te patratum pernegares non ſatis, vt veluti tuum publicares plus ſatis: quanquam quod improbi hominis fuerat magno impudentique nimium mendacio publicæ fidei omnium, qui frequentes conuenerant, illuſeris meritoriâ ſubſcriptione anteſtatus, te, qui me diſputante ne mutire quidem vel hiſcere adurgente confeſſi deprehenſique erroris conſcientiâ fueras auſus, *Cum ſingulari eruditione haud ita pridem in Scholis noſtris palam docendo materiam ſucci Cyrenaici exornare inchoaſſe, quam demum ſcribendo rationum momentis pleniùs firmaſſes & Majorum authoritate ſplendidiùs amplificaſſes.* Quæ quidem nemo non ex tot oculatis teſtibus, tot idoneis arbitris lectoribus falſi protinùs conuicerit; nempè docuiſti in ore atque oculis omnium mutus ipſe rem omnem Silphij duabus exaratis in Theſi voculis, in Appendice quindecim lineis compendi feciſti. Tuo vero merito id factum omnes ſciunt, vt prouocatus agerem tecum injuriarum, in errore & ignorantia propoſiti de Silphio argumenti poſitum demonſtrarem; ac mihi quidem quod tibi nec dum hujus rei perito, ſed juuenili impetu noua omnia temerè captanti cogitantique humanitùs exciderat, procliue erat ignoſcere, adeóque in ſequiora facilem veterum ore dedocere. At verò obterendæ hujus injuriæ & calumniæ, quam datâ operâ nec voce, nec ſcripto laceſſitus mihi non intuliſti modò, verùm propagato ſcelere in Præceptorem de te, de Schola, vniuerſo noſtro ordine, medendi denique ſolidâ profeſſione meritiſſimum redundare voluiſti; cùm ob id pœnâ alioqui grauiore, ſi ex æquo in te animad-

ἢ ἐὰν ἀναγκάζηται ὁμολογεῖν πειρατέον δεικνύναι ἔννομον, καὶ δίκαιον, καὶ καλὸν, καὶ συμφέρον τῇ πόλει τὸ πεπραγμένον. ἐὰν δὲ μὴ τοῦτο δύνηται ἀποδεῖξαι εἰς ἁμάρτημα ἢ εἰς ἀτύχημα ἄγοντα τὰς πράξεις καὶ μικρὰς τὰς βλάβας ἀπ᾽ αὐτῶν γενομένας ἀποφαίνοντα συγγνώμης τυχεῖν πειρατέον.

Folio. 5. verſo. Approbationis formula.

Ariſt. Rhetor. ad Alex. cap. 5.

ἐκ προνοίας κακόν τι ποιεῖν ἀδικίαν τίθει, καὶ φάθι δεῖν τιμωρείαν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις τὴν μεγίστην λαμβάνειν.

uertendum foret, digniſſimus videreris. Quid enim blandius mehercle, quô falſi reuincerem? Quid rerum neſciis vtilius, quô vera docerem? Quid legibus Majorum communique æquitati, quô me ſacramenti religione apud omnes purgarem, conuenientius potuit excogitari? quàm ſi ex doctiſſimis ejus prælectionibus, tanquam ex vberioris melioriſque Medicinæ ac doctrinæ Promocondo injurium obtrectatorem offenſatoremque in manifeſtario errore pertinaciſſimum perditiſſimumque, quando ita tulit illius temerè ſcribendi vel potiùs conuitia publicandi prurigo, & à me inuito extorſit, palam ponerem; vt ab eo abducerem incautos. In hoc igitur defendendo quid juris, quid legis habueris, quid commodi numero peccantium Suffragatorum, ſi quos inde retinere poſſis, in rem medicam contuleris, viderint aliquando qui legerint? Quamobrem ſani ſi quid conſilij ſediſſet in pectore, ſupinam ignorantiam hancce tuam & in perluſtrandis veterum monumentis indiligentiam commodiſſimo ſilentio quo te primùm defenderas prudentiùs excuſaſſes,

Incerti authoris. δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ.

Peccare namque qui ſapit bis non ſolet.

Hoc nempè vnicum (quando adeò niger es, vt candidi nihil ſuſtineas) perfugium reſtabat quo veluti pſeudothyro ſaluis vtcumque vaſis clanculum te reciperes, necnon precariæ reſponſionis præſente hac moleſtiâ ſumptuque & ambitu egenis rebus tuis perquàm graui velles liberatum.

Sophocles in Oedipo Colonæo. Polynices. --- τῶν γὰρ ἁμαρτημάτων ἄκη μὲν ἔστι, προσφορὰ δ᾽ οὐκ ἔστ᾽ ἔτι.

Eſt quidem peccatorum Medicina, defenſio verò nulla.

Cujac. lib. 16. obſeru. cap. 25.

Verùmenimverò quando contrariâ ſcripturâ ſcripturam omnem refelli oportere in lege poſitum eſt. An cumulatè reſpondiſſe putas? qui neglectâ ſimul & diſſimulatâ legitimi Laſeris ſuccique Veterum Cyrenaici ſolidâ ac conſtanti illorum fide totâ noſtrâ Diatribâ comprobati vindicatique, necnon grauiſſi-

mis iis insuper pro auctario additis rationum momentis, hoc vnum tibi scribendo proposuisti, vt ocyma cantares, ac transuersà abductus totus in alienis hisque nec controuersis, nec ad rem natis hæreres. Quo quidem scribendi genere & instituto id saltem promouisti esque consecutus, vt expectationem de te singularem non impleueris tantùm, sed viceris, adeò graphicè curuos mores cum rerum verborumque inscitiâ conjunctissimos hacce propositâ tabellâ non adumbrasti modò, sed depinxisti, quâ verba more vestium suspensa vendis: hæret quippe apud omnes etiam tibi deditos perelegans isthæc tua responsio nescitque nomen, quod vrgebat mouebatque, vt peteres jugulum, rem Silphij omnem decretorio stylo conficeres, verbo, Diatribam confoderes; neve vsquam caderes occursu, vel quicquam artificiosè declinares. Neque aliud profectò à te paupertinæ inter litteratos gentis viro præstolari erat, qui vt rem quoquomodo facias, quicquid est veteris litteraturæ semper habueris pro nautea, seruilique natus ingenio obuij cujuscunque de triuio parabolani sedulus assecla præcoquum cum amplioribus fortunis nomen immeritissimo ambis, docendus etiam tum materiæ medicæ doctor candidatus, ignobilis quidem, at certè famosus temerariæ nouitatis propola; sic procliui isti ad maledicendum genio facere expeditiùs tibi fuit, quàm rerum * rudi & hospiti cum ejus scriptis de eruditione contendere ac cernere, cujus, non si te ruperis, æquaueris famam, qui ædificatus libris, tuis locum contumeliis non reliquit; hoc vno inuisus nomine, quod tibi cæcâ rerum nocte vago, perque ignotæ antiquitatis disjecta passim rudera turpiter cespitanti, publicè in Scholis dicendo docendoque mihi dederit, vt admotis solidæ eruditionis facibus prælucerem. Ex

* Plato in Sophista. Πῶς ἂν ποτέ τις πρός γε τὸ ἐπιστάμενον αὐτὸς ἀνεπιστήμων ὢν δύναιτο ὑγιές τι λέγων ἀντειπεῖν.

Cassiod. 3. Var. sect. 11.

quo non Apologeticum, vti præfaris, ſed Apologum doctis continuò, eo ipſo titulo futurus in fabulam, potiùs ſcripſiſſe reſpondendo videaris. Verùm nimio plus morarum veſtibulo dedimus; mittamus iſta tuæ lucubrationis, ſi quidem tua eſt, quæ tuo ære ad nos venit, antipagmenta; quæ otioſam in molem opus vt creſceret, primo in limine conſpicienda, aſſutâ theſi curauiſti, necnon deſcripto eorum argumentorum indice quæ refutanda, vel ad ſpeciem juſtæ defenſionis probanda ſuſceperas, nihil de cætero datura illa nobis negotij, aut pro re nata ſi quid operæ ſecùs fecerint, ne odioſa crambe lectorem onerem, vel is requirat in arguendo fidem ac diligentiam, eo quo reuocantur loco excutienda. Ecce primùm quæ à te pro impetu incompoſitè ſcribentis tumultuariò disjecta in vnum recidunt argumentum vnâque ideò liturâ traducenda.

ARTICVLVS PRIMVS.

Pagina 13. *Fictitium Diatribæ Authorem M. Philip. Douté, genuinum alterum fuiſſe, cujus operi nomen ille inſcripſit.*

ARTICVLVS VIII.

Pagina 57. *Doctrinæ quicquid vel ornamenti Diatribæ acceſſit id omne ex Ioan. Langio, Claud. Salmaſio, Ioan. Bauhino petitum erutumque fuiſſe.*

ARTICVLVS IX.

Pagina 67. *Plagiis, ſub quorum mole gemit Diatriba ſublatis, hanc informem fabellæ Corniculam fieri videas.*

LOCORVM ELENCHVS.

Quos in ipso M. Philip. Douté exemplari siue Apographo, juxta quod Diatriba de succo Cyrenaïco typis excussa est, genuinus libelli author supra centum recensuit, auxit, aliterve emendauit. Pagina 74.

HOCCINE tuæ defensionis caput est, BERTINE? Hi causæ nerui? Hæc descripta à tuis actuariis instrumenta? Quibus famosi Apologetici viginti octo integras paginas malè consumpsisti, præter alias duodecim queis præfatus thesim dedisti nobis tertiò recoctam. Vide quam inanis Abderologus, pejusque feriato otio ϛρεψίμαλλος, tanquam Alcinoi Apologum daturus, omnibus videaris. Ecquid enim te angis & excrucias animi, vt me *fictitium Diatribæ authorem* passim traducas? *Authoris ὑποβλήτου Actuarium,* Pagina 4.
Amanuensem, Dubiam Echo, factitium ac simulatum authorem etiam atque etiam crocites? Neque tamen ita Pap. 15. 29. 57. 75.
otiosum colendissimi Præceptoris scriptuarium me vis haberi quin *Alter fabricator Diatribæ* apud te audiam Pagina 73.
juuenis licet, nondum benè ex ephebis excedens, vixdum exclusus in lucem, Nouellus & qualiscunque Doctor, Immo Pagina 70.
tibi sim nullus, quando adeò ægrè est, quod te doceam, aut purpuram præcociore fateor meritissimi tum Decani, nunc Professoris M. Pauli Courtois, indulgentiâ & gratiâ Baccalaureus ipse vix dum renuntiatus induerim, quo scholæ & emeritis Baccalaureis doctissimis medendi licentiam pridiè consecuturis Panegyricum publicè dicerem. Quid pluribus vt talem me probes tibi erat opus, vltrò apertè atque ingenuè dicto scriptoque quod eram confessus adeò pertur-

bato animo maledicendi vis impotens occupauit, vt quæ noſtræ Diatribæ pagina 32. ſcripſeram, malitioſiùs propoſueris diſſimulandum, ex quo vtrum perfidioſus? An inconſideratus magis, æquo lectori præuaricator eſſes habiturus, necdum liqueat? Nonne, quando actum agere denuò velles, hujus probandi locupletiſſimum ipſe tibi documentum verbis meis ſuppeditaueram, ſic locutus. *Hoc te etiam communi præceptori ingratiſſimum ex ejus ſcriptis docebo, quæ propria manu tranſcripſiſſe mihi ſummo beneficio, tibi vitio quod aliquando verteres meo periculo in dies ſentio. Ex quibus hæc, quæ ad te ſcribo, quò à tam ſupinâ materiæ medicæ ignorantiâ reuocarem, magnam maximam partem excerpta & deſcripta velim ampliùs intelligas.* Neve id ſemel quaſi in angulo & ad aurem hæc modo profeſſum jure poſſes arguere, anteà ſcripſeram, *Gratulari vel te authore in eo mihimetipſi licet, quòd eâ fide quam leuifidus ejuraſti, fidelis Echo bona illius verba reddam.* Nihilominus in his totus es, vt moneas memorem, doctum doceas, remque perſpectam omnibus, controuerſam nemini, longis, quod aiunt, tibiis ſic ſtudeas canere; nempè *periodorum ambage, ſolennium vocum, quas neſcit Tullius, formulâ, jugique ad rauim battologiâ Diatribæ genuinum authorem* deprehendi ſcriptitas. Adeò volupe tibi eſt ſcalpurire, fœdamque hanc tuam affricare ſcabiem, quâ illum inquines: cùm nihil ſit porrò deductis à te periodis intricatiùs, obſcuriùs nihil, inconditâ battologiâ apud te frequentiùs nihil, nihil odioſiùs; qui nullum benè dicendi genus ſecutus, vnum maledicendi bono genio infeſtum teneres, nec rerum verborumque ageres delectum; adeò ſuperbè & inconſideratè faſtidis, teque ſimul melioris litteraturæ rudem planéque jejunum integro ſiſtis judicio doctiorum. Ideóne vero jure abdicanda veniet verborum formula, cui Tullius non ſubſcripſerit, eoſque

Diatrib. pag. 32.

Pagina 27.

Pag. 14.

rejiculos putabis, qui illi præiuere, vel ab eo fuere purioris latinatis authores? adeóne ſordebit ægro & molli ſtomacho faſtiditus Plautus? quem *elegantem, vrbanum, ingenioſum* Tullius ipſe agnouit: *ac Plautino ſermone locuturas fuiſſe Muſas, ſi latinè loqui vellent*, ex Ælij Stolonis (vel potiùs Stilonis ſi ex Varrone cujus magiſter fuit, Plinio & Suetonio caſtigare vacat) ſententiâ ſcripſit Quintilianus. Verùm ampliùs vt fidem dictis quæras & facias pleniorem, flagitia ipſe tua reuelare nihil es veritus, adeò verum eſt eum *qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, benè & nauiter oportere eſſe impudentem*, nulla conſcientiæ religione, ſed vnâ famæ reuerentiâ. Ita nempè deinceps ſcribis, vt me in plagij crimine deprehenſum veluti digito prodas. *Incidi fortuitò in antigraphum juxta quod typis mandatus eſt Diatribæ libellus, in eo Actuarij Doutæi manus maximâ operis parte relucet, ſed vt in iis fieri ſolet, quæ noſtra cùm ſint, alteri deſcribenda imponuntur. Videas non modò contextus è græcis Authorum Codicibus omnes ad vnum latinitate donatos propriâ Authoris manu ipſius apographi margine conſcriptos, ſed ex hac parte opus ſuperadditis creſcere ſententiis aut verbis, ex alia mendum ſcripturæ litura tolli, multa interſuta, quamplurima interpuncta, frequentes Amanuenſis lapſus ejus hinc inde interlito codice emendatos, quibus authoris ſenſus vel corruptus abibat, aut ſaltem præpoſterè inuerſus detorquebatur, atque quod commiſerationem commoueat dum paſſim lituras potius quam litteras contemplari licet adductos tum Hippocratis tum aliorum locos quam multos animaduertas M. Phil. Douté ignotos aſteriſcis litteruliſque ex ipſius paginæ contextu in marginem numeroſè cadentibus eleganti charactere confictis indicatos, quibus ſanè ſingulis germanus author ſuo, eodemque ſimpliciori & effœto vſus atramento, tanquam legitimo operi propriam manum conferre non dubitauit.* Ergo inquis, *incidi fortuitò*, furto propè vt diceres tibi

1. de offic. 248. v. 31.

Inſtit. orat. lib. 10. cap. 1.

Tull. Epiſt. ad Metell. lib. 5. 12.

Pagina 5.

excidit, BERTINE, qui conſtrictus recens meditati facti conſcientiâ teneris, adeóque callidè diſſimulas, quod te authore à temerario juuene patratum, ne tibi ſic reo legibuſque duodecim tabularum obnoxio cum eo redauſpicandum foret in vincula, cujus ſuaſu impulſuque facinus

Auſus is eſt breuibus Gyaris & carcere dignum.

Rem geſtam omnium oculis, quando ad id me adigis, ipſe ſubjiciam, illius modo Lauernionis nomini parciturus, qui autographi furtum adorauit. Noſtram de ſucco Cyrenaico Diatribam ſuperioris anni menſe Octobri fidei ac diligentiæ Nicolai Boiſſet Typographi commiſeram, vt typis exiret, jamque penè ad vmbilicum opus ipſe deduxerat, cùm ecce tuis conſiliis perditus diſſolutuſque iſte adoleſcens furtum animo cogitans in librariam officinam ſe recepit, ac ſimulato caſtigandæ quæſtionis ejus negotio, de qua cis paucos dies erat publicè diſputaturus, Archetypi noſtræ Diatribæ folia 44. in ipſo officinæ veſtibulo arcâ eâque nec obſeratâ & à Typographo minùs tutè condita ac ſepoſita clàm ſurripuit, ſimulque in protinam fugam ſe dedit, fruſtrà inclamantibus furi gradum grandius grandienti, qui jubente domino obſeruauerant operis inſecutis, vt pote qui loco ſemotiores impeditioreſque typis è loculamentis depromendis, iiſque inuicem diſponendis tum vacarent. Quamobrem lance & licio inquirere de manifeſtario hoc fure ſollicitiori Typographo non fuit opus, qui in eo deprehenſum, ſibique notum amicè quamprimùm conuenit, aperto furto ſubducta folia vti redderet adhortatus: quod nec prece nec minis, commonito etiamnum parente, potuit obtinere: nec tum quippe illi erat in integro copia reſtituendi, cùm jam in manus tuas hæc noſtri autographi folia veniſſent, quæ tamen obligatâ fide furaci creduloque nimium

mium juueni redditurum te, vt ab eo impetrares, promiſeras, ſi quid illi negotij inde fieret; ex quo apud legatum quæſtionum judicem de furto cum eo cœpit Typographus expoſtulare, reumque delatum vadari: qui euocationi decretæ facti conſcius obtemperare cum neglexiſſet, & ad dictum capitis diem judicio recuſaſſet ſe ſiſtere, judicis demum ſententiâ in vincula conjectus eſt; à quibus prouocatione ad ſupremum Senatum inſtitutâ reus ſatisdatò ampliatus, lite etiamnum pendente, perendiè ſolutus euaſit. Hæc tua fortuna BERTINE, quæ in ſequiora conſilia præcipitem furtique pararium hunc juuenem finxit & arctauit meritiſſimo infortunio malè mulcatum; adeo vir bonæ frugis es, tuiſque natus commodis, vt ex illius incommodis illa tibi comparares ac redimeres; quanquam vide ſis, quid vtile & rebus aptum meditato hocce furto promoueris: vnum reuera, mi BERTINE, quod me totum colendiſſimo præceptori dediſſe in diſciplinam omnes à te iterum ſciant, qui à me primum acceperunt; quod ejus examini ſcribendam mihi aduerſus eum, quem profeſſus es, errorem de veterum Laſere Cyrenaico ejuſque ſucco Diatribam ſubjecerim recognoſcendam, à cujus prælectionibus omni ſublimioris lectioriſque eruditionis genere fœcundiſſimis ejuſdem publicè arguendi hauſeram argumenta; inde ſcilicet habeas quod nonnulla interpunxerit ille ac pro ſuo jure obelo transfixerit, jugularit, aliò traduxerit, ampliarit, interdum caſtigauerit in rectum. ô beatam illius opera Diatribam! quæ ſingulare emendatius ac verius de re inter nos controuersâ ſcribendi ſtudium ac diligentiam doctis omnibus oſtenderet, tibi locum modò conuitiandi faceret reliqui. Vide ſis quàm mentis impos, quàm malè tibi tecum hominum mendaciſſime conueniat, Authoris Diatribæ inuolutas damnas rationes, ſpiſſis Pagina 42.

caliginosisque dictionibus lucem fieri cupis ; is ipse tandem calculum reducis ejusque in Diatribâ excutiendâ agnoscis ingenium disertissimi scriptoris con-
Pagina 78. fusam & implicitam nostram orationem emendare satagentis, *sedulò interpunctis quò decebat verborum clausulis*, datam obscuris lucem, mutatâ vocum serie vel amplificatâ, ambiguæ orationi factam Medicinam, locô & serie minùs commodas voces dispositas, lu-
Pagina 79. xatasque decenter & ad gratiam restitutas, sensum denique deprauatum justæ integritati redditum: quibus alias etiam quam Amanuensis & Actuarij partes sustinuisse vltro fateris. Ecquid porrò ista ad controuersiam BERTINE, si purgatior alienâ etiam operâ è typis quàm nostris ex aduersariis Diatriba exierit, si quid elencho obnoxium humanitus exciderit quod alter correxerit ; si seriò tandem vrgentibus operis monitus nihil ex græcis tenere te præter fidem, ac tibi aut plerisque legentibus negotium factura ista toto passim Diatribæ contextu in certius documentum ascripta, ni latina simul prodirent, exorari se humanissimus Præceptor sustinuit, vt nullo non loco requirendorum apud authores locorum, simulque describendorum ex latinis interpretibus tædio, necnon adurgentium operarum molestiâ me protinùs vellet liberatum ; cùm græca solùm ex ejus Antigrapho descripta mihi haberem, quippe non tantùm otij illi erat reliqui à medendi docendique extemporali professione, vt quæ græca primùm conscripserat, latina iterum auditorum causâ transcriberet ; verum satis inter recitandum dictandumque fuerat, quô se Philiatris accommodaret, græca latinè reddidisse. Ex his aduertat quiuis quàm injustus venias cauillator, quàm industrius audias furti Architectus, quàm per me securus præcario à pluribus redemptæ responsionis scriba. Ergone vitio jure mihi dederis quod ad scriben-

dum tuis erroribus ac intemperiis præter expectationem incitatus impulsusque nostra scripta illius ante arbitrio judicioque obnoxia voluerim, ac justo veluti domino addixerim, quem in botanicis ducere familiam omnes te inuito agnoscunt, qui de his publicè tot annos docentem audiuere, vel domi ruriue fidissimi stirpium, quas cultissimus hortus patriusve alit ager, nomenclatoris facili plurimùm expositoque consortio sunt vsi. *Nescit enim pœnitenda loqui qui proferenda priùs suo tradidit examini, ex cujus docentis dicentisque ore magna vbertate diffunditur, cujus ingenium ita paratum aperitur ad subitum vt non putetur esse terrenum.* Scilicet exulcerato animo hoc vnum ægrè fuit injustissimæ criminationis caput, quod in reuelando tuo errore, nec non pleniùs discutienda veterum litterarum caligine, alienâ meliùs doctum operâ offenderis nimisque diligentem, adeo tibi furi non minus graue fuit nomen & splendor veritatis, qui in Diatriba emicat, quàm infesta olim nocturnis Præmiatoribus Demosthenis lucerna. Absit vero vt is sim vsquam, mi BERTINE, qui nomini meo laudem ex alienis laboribus studeam libare, mihive juueni Doctori nobilis Palestræ puluere & sudore etiamnum sordido, tecum qui *fortiorum illustriumque Classi paucis ab hinc annis te inscripsisti*, tantum sumam similique nixus supercilio optimum & perquàm accuratum publicandi operis sequestrum ac cognitorem non quidem habuisse, sed appellare erubescam; præiere mihi, si nescis, in tam accurato consideratoque studio scribendi veterum juxtaque recentiorum non Medicorum modò, sed rei cujuscunque litterariæ scriptorum οἱ χαρίεντες; apud quos ea semper extitit in suis edendis lucubrationibus priuato conjuncta nomini religio veritatis publicæque famæ reuerentia, vt nonnisi seuero examine alienâque trutinâ castigatio-

Cassiod. lib. 10. Var. sect. 4.

Pagina 70.

res & sociorum pumice benè mundas vulgi tandem judicio committerent.

Horat. lib. 1. Epist. 20.

----- *nec enim emissis reditus patet.*

veluti tuo ipse periculo mox experiere, qui in mediâ eruditorum, queis abundamus, luce, proposito temerario bonæ menti decoxisti. Agnosce enim deinceps quò te maledicendi furor impotens egerit transuersum, genuini authoris actuarium me ejusque, quod beneficio non injuriæ verti mihi velim, Amanuensem

Pagina 15.

dixeras, apellas subinde *confitentem reum*, *atque in ipso plagij crimine deprehensum* accusas, neque me solùm, sed eum insuper ipsum, quem tibi proponis & fin-

Pag. 57.

gis Diatribæ authorem, vt pote qui ex Ioanne Lan-

Pag. 67.

gio, Claudio Salmasio, Ioanne Bauhino velut ex hostico res suas auxerit adornaueritque ingenti plagiorum mole oppressus, cætera deridiculo futurus, si sua repetitum quisque venerit. Quantum vero ad primum attinet, vel ipsum actuarij munus quo me ornasti, BERTINE, ab ejus criminis suspicione tutum om-

Pag. 58.

nino esse jubebat, quod in compilantem Diatribæ Architectum, vt loqueris, totum debuerat redundare; quanquam Plagiarium bene personatum, qui te sciunt omnes, scelus mirentur tum admisisse, nomen cum nescis. Plagiarius vox est primùm inter juris Professores audita & vsurpata legibus, etenim lex Cornelia inde Fabia de Plagiariis sancita quæ capitis pœnam rerum personarumve habitâ ratione irrogabat, nam si quis liberum hominem sciens emisset, aduersus eum, ait Vlpianus, capitale crimen ex lege Fabia

Vetus Glossar. Latin. Græc. Philoxeni.

de Plagio nascebatur. Plagiarius ψυχαγωγὸς Græcis dicitur, hæc quippe vox Hesychio idem sonat ac ἀνδραποδιστὴς καὶ ὁ ἀπατέων ὁ κατάγων τὰς ψυχὰς ἐξ ἅδου, hominum

Hadrianus Iunius Nomenclator.

Mango, qui decipit & deducit animas orco, cui affinis ψυχέμπορος ὁ τοὺς ἀνθρώπους ἀγοράζων καὶ πωλῶν, hominum mercator, qui homines mercatur & vendit, quem

alibi idem vocat ἀνδραποδοκάπηλον, ἀνδραπόδων μετάβολον. Venalitiarium Latini dixere : & certè ἀνδραποδιστὴς, inter criminum nomina recenſetur à Polluce: Quod facinus egregiè deſcripſit Scholiaſtes Ariſtophanis dicitur, inquit, Plagiarius ἀνδραποδιστὴς ex eo quod homines tradat, hoc eſt, vendat. Aliter ἀνδραποδιστὴς non ſolum qui liberos homines per fraudem abducit in ſeruitutem, ſed etiam qui ſeruos à dominis ad ſe traducit, vt alicubi transferat & diuendat. Latina dictio etiam apud Græcos accepta, etenim habetur Πλαγιάρειος φλάβιος κατ' ἀνδραποδιστῶν καὶ τοὺς φυγάδας πωλούντων de Plagiariis fugitiuos vendentibus ; atque Πλαγιάριος, ψυχαγωγὸς, ἀνδραποδιστὴς & πλαγίατα τὰ παρὰ τοῦ ἀνδραποδιστοῦ ἀφαιρεθέντα quæ à Plagiario abducuntur : hinc vſque hodie Græco-barbaris ἀνδραποδιστὴς Plagiarius audit ἕνας ὅπου κρατεῖ ἄνθρωπον ἐλεύθερον διὰ σκλάβον, ille qui detinet liberum hominem in ſeruitute : cujus nominis ratio non à plagis & verberibus mihi videtur deducta, quibus ſerui Plagitribæ infeſta ſors eſt obnoxia, vti Accurſiani cum Laurentio Vallâ dictitant, vndeque etiam Plagiarius πλήκτης legitur ; ſed quod dolis ducent illi & circumueniant plagis, hoc eſt, inſidiis vti placuit doctiſſimo Ioanni Fungero ; Plagæ ſiquidem retia rara apud Poëtam authore Donato, etſi Seruius propriè dici velit funes quibus retia tenduntur circa imam & ſummam partem : cui tamen integra adhuc legitimi hujus vocis vſus apud Græco-barbaros, quæ reſtant, aduerſantur veſtigia: his nempe plagæ ſunt δίκτυα διὰ νὰ παρθοῦν τὰ θηρία. Aliter quoque viſum interpreti Pollucis Rodolpho Gualtero, ait enim *retis verò pars plaga dicitur, eſt autem plaga continuum illud in rete quadratum interſtitium quatuor conſtans nodis, quod tenſo rete rhombi in morem extenditur, per quam ceu tranſituræ capita feræ inferunt, & his irretita capiuntur.* Qui quidem nodi cum de-

Lib. 6. cap. 36.

In Pluto εἴρηται δὲ ἀνδραποδιστὴς παρὰ τὸ ἀνδρας ἀποδίδοσθαι τουτέστι πωλεῖν. ἄλλως, ἀνδραποδιστὴς οὐ μόνον τοὺς ἐλευθέρους δι' ἀπάτης ἀπάγων εἰς δουλείαν, ἀλλὰ καὶ ὁ τοὺς δούλους ἀπὸ τῶν δεσποτῶν ἀποσπῶν εἰς ἑαυτὸν ἐπὶ τῷ ἀπαγαγεῖν ἀλλαχοῦ καὶ διαπωλῆσαι.

Veter. Gloſſ. verb. Iuris.

Plautus in Pſeudolo.

Onomaſt. Græcolat.

In Etymologico trilingui.

4. Æneid.

Lexicon Græco-barb.

Pollux, lib. 5. cap. 4.

Τῆς δ' ἄρκυος τὸ μὲν καλεῖται βρόχος, ἔστι δ' ὁ βρόχος τὸ συνεχὲς ἐν τοῖς δικτύοις τετράγωνον διάστημα συνεστηκὸς ἐκ τεττάρων ἀμμάτων ὃ τεινομένης τῆς ἄρκυος γίνεται ῥαβδοειδὲς δι' οὗ τὴν κεφαλὴν διωθεῖ τὰ θηρία ὥστε διεκπεσούμενα καὶ περὶ αὐτὸ ἐνσχεθέντα ἁλίσκεται.

cuſſatìm ac obliquè ductis linis ſibi inuicem reſpondeant Latinis vim græcæ vocis ſecutis Plagæ dicuntur, & ab his Plagiarij qui πλαγίως dictis ac obliquis ſtrophis illudunt incautis, ex quo Hesychio πλάγιοι, δόλιοι; ſiue enim liberos homines addicere ſeruituti ſatagerent illi, ſiue juſtis dominis ſeruos ſubducere fugitiuos, dolis doctis indoctos vt attonderent, erat opus, ſeque ſimul à re capitali vindicarent. Cautum ſiquidem legibus erat ne ſeruum fugitiuum quiſquam venderet, donaret, emeretve, legi de Plagiariis obnoxius ex eo futurus. Exinde tranſlatitia dictione malè audire Plagiarij cœperunt, qui aliena opera ac ſcripta pro ſuis publicarent venditarentque, ita Plagiarius neſcio quis apud Martialem inſimulatur Fidentinus Poëta, qui meditato Plagio illius verſus jam manumiſſos, & domini jure ſolutos ſeruire ſibi addicique ſic ſtudebat, vt pro ſuis laudaret ederetque. Vter ergo noſtrûm jure Plagiarius audiet, BERTINE? qui hocce Apologeticum, ſubducto eorum, qui tibi ſuppeditarunt collatiſque in commune operis conflarunt, titulo, pro tuo Autolicus alter venditas; An ipſe qui ſcripta de Silphio ab alio accepiſſe me ingenuè ſum profeſſus? Vide quàm cæco rerumque neſcio impetu maledicendi abactus Langij inſimul Plagiarium Salmaſium, Salmaſij Bauhinum, te omnium ſic probes, ſi tuo judicio ſtemus: itane te plagio purgatum, me reum deprehenſum inde meritò quiſquam judicet? quod ex Langio, Salmaſio, Bauhino hæc de Silphio conflata ac indigeſta deſcripſeris, veteres ipſe memorias conſuluerim de re priſcis notâ ac multis retrò ſæculis deſideratâ, totiuſque de Silphio controuerſiæ ſequeſtros continuò adhibuerim & aſſiduos vindices Hippocratem, Herodotum, Theophraſtum, Dioſcoridem, Ariſtophanem, Plautum, Pauſaniam, Strabo-

Baſilic. lib. 19. pag. 192.
Lib. 60. tit. 4. cap. 10. ὅτι τὸν μὲν ἐν φυγῇ δοῦλον, οὔτε πωλεῖν δύναταί τις, οὔτε δωρεῖσθαι, οὔτε ἀγοράζειν ἀλλ' ὁ ἓν ἐκ τούτων ποιήσας ὑπόκειται τῷ νόμῳ τῷ περὶ ἀνδραποδισμοῦ.
Epigram. 53. lib. 1.

nem, Nicandrum, Apollodorum, Solinum, Iuſtinum, Columellam, Plinium, Arrianum, Ælianum, Galenum, Suidam, Tzetzem denique, ne alios juniores ſcriptores hîc recenſeam, quorum omnium rogatis ſententiis excuſſiſque ac benè ſubductis ſuffragiis, error iſte tuus de ſuppoſititio Silphio perpetuâ conſtantique fide palàm fieret. Tandem verò in ſemitam poſt tam longa diuerticula te recipias, BERTINE, ſim vti jubes authoris Diatribæ Actuarius, & cum eo quoque Plagiarius, tu verò ſollicitus plagij delator juſtis reddas dominis erepta ac Diatribam ornatu ſuo exuas, quam in Æſopicam Corniculam parabolanus de triuio conuitiator transformes, actutùm rem Silphij controuerſam ex his conclude ac confice: Ergo famoſum illud veterum Cyrenarum Silphium Galeno notum vſurpatumque, hæc tibi etenim mihique Helena, hic Rhodus, hic ſaltus eſt.

ARTICVLVS II.

Rei totius geſtæ ſeries, ſiue exortæ de ſucco Cyrenaico Controuerſiæ hiſtoria.

FRONTEM de tuis rebus periiſſe neceſſe eſt, BERTINE, qui tot auritis oculatiſque teſtibus totius diſceptationis de Silphio inter nos habitæ in frequenti ſolennique adeò collegarum omniumque penè vrbis ordinum conuentu, reique palàm geſtæ conſciis auſis facere negotium; ſic facinus obiiſſe te putas planè baſilicum, quûm errorem & crimen alioqui veniâ dignum, ſi rogaſſes, impudentiâ calidiſque mendaciis malis defendere, an neſcis ficta quàm cito ad naturam redire ſolita ſint ſuam?

Pagina 17.

Pub. Syrus in mimis.

Mobilis & varia eſt fermè natura malorum
Quum ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia, quid fas

Iuuenal. Satyr. 13. 262.

Atque nefas, tandem incipiunt ſentire peractis
Criminibus, tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari neſcia: nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi, quando recepit
Ejectum ſemel attritâ de fronte ruborem?
Quiſnam hominum eſt, quem tu contentum videris vno
Flagitio? dabit in laqueum veſtigia noſter
Perfidus & nigri patietur carceris vncum.

Hæccine hiſtoria, BERTINE, quam conſutis mendaciis ſic exanimas? hæret alta mente repoſta præſentium omnium animis rei geſtæ veritas ejuſque memoria in omnem ſui partem eadem, caduca verò ipſa per ſe, quæ blateras ſolidi nihil habent quò ſapientibus imponas; adeò tenue mendacium tuum eſt, vndique pellucet & ſe prodit, ſi quis inſpexerit totque objectis falſimoniis veluti repercuſſu quodam illuſtrior emicabit illa, nec non diſcuſsâ mendaciorum nube & caligine, purior è noſtra Diatriba emerget.

à Pagina 3. ad 7.

Siccine adeò niger cùm ſis candidè & recto pectore rem geſtam te narraſſe aſſeueras, omnibus dum imponis ſcribendo, & tabernariam obductâ fronte exerces; nulliùs ex iis, qui aderant, defugio authoritatem, fidem eorum etiam interpello & imploro, quos teſtes appellas. Quamobrem etſi hæc tua impoſtura illorum potiùs ore quàm noſtrâ operâ reuincenda foret, digniuſque pœnâ quàm ſcripto, adeò impudens mendacium jure videatur, pauca nihilominus de pluribus perſtringam. *Non enim ex te impetrauit ornatiſſimus M. Nicolaus Morinus, vt hanc rixandi occaſionem arriperes, &c.* Hunc ipſum interroga ſi lubet? cujus integram fidem ſic ambire videris, illumque nec antè conſultum publicato nomine in tuas partes ſtudes adducere: is ipſe pridiè quàm in Scholis diſputarem qui me conuenerat perlectâ coram tuâ theſi excutiendæ de ſilphio hiſtoriæ mihi nec tum vlli ad-

Pagina 17.

dicto

dicto futuræ tecum disputationis argumento author extitit, suasor & impulsor, quod tamen in Diatribâ ante referre quàm sciens ille & volens annuisset, religioni duxeram. Iam verò qui audiere me disputantem vel scribentem legerint, ipsi judicent, an parùm apposita ad fidem controuersi argumenti quo mihi, pro disputandi munere, incumbebat ostendere secùs quàm scripseras ætate nostrâ non desideratum succum Cyrenaicum, quæsita è nostris materiæ medicæ reique botanicæ scriptoribus in aduersum testimonia, ac grauissimum illud in-primis, quod mihi libello suo vernaculo de Stibio triumphante coram laudatus Collega clarissimus Renaudotus junior subministrauerat, *cum ab ejus doctrinâ & opinione dimoueri te non posse* insuper scripseris, *eadem cum illo sentire paratus.* Si namque veterum Silphium nostrarum officinarum Benjoinum est, vt asseruisse ejus verbis ex fide inter disputandum recitatis demonstraui, protinus expungenda tibi erant temerè ac perperam scripta vltima tertiæ Appendicis Theseos verba *Succum Cyrenaicum desideramus.* Hæccine verò malè sani genij sunt, quæ malè sanum arguebant scriptorem, studiumque malitiosiùs cauillandi domi attulisse ideò tibi videor, quem planè moderatum & pro rerum tuendâ veritate placidum adeóque compositum es expertus, vt audientiam; cujus mihi disputanti gratiam fecerat ordo amplissimus singularem, suborto murmurillo haud alio in me animo corrumpi sustinuerit, quàm vt vnius ex assidentibus Collegis M. Antonij Sartæi me tum præter Scholæ leges & partes quas gerebat tuo nomine, qui sublimis intereà loci agebas κωφὸν πρόσωπον, immodestiùs interpellare ausi pro suâ authoritate coerceret, hominique locutuleio silentio imposito, porrò disputandi, *non mutato quidem medio*, vti conuitiaris, BERTINE,

Pagina 18. Pagina 19.

ſed argumento , quando in priore hæſeras , beneficium ampliaret, quo vſus perfeci vt etiam te traduceres in decernendo quartana febre laborantibus Peruuiani corticis puluere imperitiorem. Quûmque ad Quodlibeta tandem ventum eſſet , atque ex noſtrâ diſputatione ſciſcitandi à M. Fabiano Perreau Baccalaureo anſam cepiſſes , *An refixus foret Theriaces vſus , notaque Galeno fuiſſet planta ex quâ ducebatur ſuccus Cyrenaicus* ? tum verò tibi de more, ac pro recepto Scholæ vſu annuenti Baccalaureo ipſe præfiſcinè palmarem iſtam , vti prædicas, adjeciſti rationem , ignotam ſcilicet fuiſſe Galeno ſtirpem Laſeris, *quoniam nullibi Galenus cujuſpiam ſtirpis lachrymam vulnere facto ſtillantis Cyrenaicam meminiſſet.* Diuulſam ac ſine calce disjectam orationem pejus commiſſa verba nil moror, qui conuitiari doctus cætera neſcias ; ô dignam mehercle viro Palmari verè palmarem rationem ! propter quam tu nunc in aliam partem palmam poſſideas, atque Hippocratis liberis adoptione quartus accedas lege Curiata ; ſit tibi tuique ſimilibus palmaris iſthæc ratio, qui ne eruditum quidem puluerem attigere, cæteris friuola prorsùs ineptaque judicabitur. Ecquis enim ignotas inde jure velit Hippocrati eas omnes ſtirpes quas in faciendâ medicinâ adhibuit , quòd nullam deſcripſerit , quin potiùs apud ſe meritò recipiat , id ejus prouinciæ non eſſe qui curandis morbis vacat & totus eſt. Verùm ſtatim ſubintelligo quid reponas, Galenum nempè in cæteris deſcribendis benè multum, nihil de Laſerpitij hiſtoriâ ſcripſiſſe. At viciſſim etiam quod rebus tuis fauere videatur referam, vel vſu ipſo receptiſſimas & ex eo vulgo notas plantas in iſtius, quam reprehendis, indiligentiæ documentum dari poſſe : neque ipſe qui hanc ſuſceperat prouinciam Dioſcorides vſu alioqui notas ſtirpes omnes

descripsit, de cujus tamen scriptis, si Galenum interroges, statim ille testabitur *videri sibi illum omnium diligentissimè negotium circa materiam medicamentorum absoluisse.* Plerasque siquidem plantas non descripsit ille, vel quia peregrè aduectæ aliquâ dumtaxat sui parte innotescerent, ita nihil ille de plantâ Cardamomi, Nardi, Malabathri, Costi, Iunci odorati, Aspalathi, Rhei, Bdellij, Thuriferæ arboris, Ebeni, Zingiberis, ne Silphij quidem suis in commentariis consignauit, vel quia notiores forent quàm vt describi illas opus videretur; ita nihil de formâ Musci, Croci, Pini, Lentisci, Terebinthi, Cupressi, Iuniperi, Platani, Fraxini, Populi vtriusque, Vlmi, Papyri, Myricæ, Paliuri, Rosæ, Salicis, Oleastri, Oleæ, Quercus, Fagi, Pruni, Sorbi, Amygdali, Pistacij, Mori, Nucis Iuglandis, Ficus, Perseæ, Ilicis, Castaneæ, Mali Punicæ, Cerasi, Siliquastri, Pyri; indictam reperias quoque herbescentium Cerealium ac Leguminosarum stirpium formam, Oleracearum quoque ac plurium quæ in cibum aut medicinam venirent, nec enim adumbrauit speciem, notas proposuit tritici Hordei, Milij, Sesami, Lolij, Lini, Ciceris, Fabæ, Lentis, Phasioli, Lupini, Rapi, radiculæ Siseris, Lampsanæ, Bliti, Maluæ, Atriplicis, Brassicæ, Betæ, Portulacæ, Asparagi, Cucurbitæ, Cucumeris vesci, Peponis, Lactucæ, Scandicis, Erucæ, Ocymi, Porri, Cæpe, Sinapi, Nasturtij, Struthij, Bulbi esculenti, Scillæ, Lepidij, Absinthij, Hyssopi, Pulegij, Menthæ satiuæ, Rutæ hortensis, Anisi, Anethi, Cumini satiui, Coriandri, Apij, Fœniculi, Ferulæ, ejusque item de quâ Sagapenum, Galbanum, Ammoniacum profertur, Lilij etiam, Gnaphalij, Stœbes, Lagopi, Rubi, Loti satiuæ. Non ergo tui me erroris vt haberes disputando suffragatorem gratis, vti mentiris, proposui, sed constanti authorum Galeni æuo superiorum suffragio

6. de simplic. med. facultatibus.

καί μοι δοκεῖ τελεώτατα πάντων οὗτος τὴν περὶ τῆς ὕλης τῶν φαρμάκων πραγματείαν ποιήσασθαι.

Pagina 20.

apertè demonstraui, pluribus ante natum Galenum annis Laseris plantam stirpitus periisse; neve procliui tibi multum imperitiâ ac in euoluendis veterum monimentis oscitantiâ ad hunc scrupum deinceps offenderes ac cespitares turpiter, quod nomen & vsum Silphij succique Cyrenaici sæpius laudatum apud Galenum & Galeno juniores inuenias: veterum juxta recentiorumque notæ melioris scriptorum adhibitis testimoniis, ipsiusque quinetiam Galeni ingenuâ confessione tum disputando, exindeque tuâ publicatâ scriptiunculâ inuitatus scribendo docui in nomen & jura famosi illius veterum Silphij pridem extincti aliud secutæ ætatis studio, orbitatis solatio adoptione quæsitum arrogatumque transiisse; quare nec injuriâ quispiam te prædicauerit

Veruecum in patria crassoque sub aëre natum.

Cui adeo cornea est fibra, vt lemas istas plusquam saturnias propositâ veritatis luce necdum excusseris, sed ad illam malitiosè conniueas, vt impudenti mendacio per se satis reuincendo ineptias mihi tuas stolidiùs applices.

Pers. Satyr. 5. fol. 565.

Vappa & Lippus, & in tenui farragine mendax.

Adeò vafriter hocce loliginis succo rerum turbas naturam, vtque saluis vasis ex hoc ignorantiæ gurgite emergeres, pro illo veterum Silphio personatum istud recentiorum, veluti pro Sosia Mercurium, Mango perfidiosissimus sufficis; vin' jam faciam vt stultiuidum te fatearis, dum insulsum & bliteum salibus Plautinis condio, tuæque imperitiæ adhibeo Medicinam, scopulo supinæ stoliditatis te eximam, quodque tibi, qui lolio luscitiosus victitas, fingis obscurum & ἐναντιοφανὲς modo, non peruides numero reuelabo, dari scilicet succum Laseris *quoniam eo vtebantur*, *& non dari quoniam perierat apud Cyrenæos stirpis ea species*, dari quidem nomen ad id ætatis integrum, rem funditùs

In milite glorioso.

Pagina 20.

occidisse. Cæterum ne in anachronismi errorem reliquos deinceps inducas, quum Galenum regnante Trajano floruisse scribis, monitum te velim sub Antonino pio Galenum primo vixisse 20. post obitum Trajani annis, quibus Adrianus imperauit, ac natum fuisse circa 15. annum imperij Adriani, nempe sub annum Christi 133. Trajanus autem decesserat anno Christi 118. & reuerà ipse Trajanum se vidisse non meminit, sed Antoninum, Commodum, Lucium, & Seuerum, quod etiam à pertinacissimo scriba tuo obtinebit illa quâ vsus est Galenus particulâ quum de Trajano loquitur, *Omnes Italiæ vias Trajanus ille instaurauit.*

Pagina 21.

9. meth. cap. 8. ἁπάσας τὰς ἐπὶ τῆς Ἰταλίας ὁδοὺς ὁ Τραϊανὸς ἐκεῖνος ἐπανωρθώσατο.

ARTICVLVS III.

Galenum quantumvis eloquentem ac in afferendo Cyrenæi Liquoris vsu vt in cæteris copiosum, nullibi tamen ejus stirpem docuisse, adeoque hanc ignorasse.

BENE tibi est tandem, BERTINE, titulo in meliorem sensum deflexo, me authore visus es resipuisse, & in Galenum jurasse calumniam, Appendicem castigasse, quâ in dicendo multum Asiaticorum more quum illum dixeras, λογοδιαρροίας ausus fueras insimulare, ita tibi demum videtur Galenus *pro more Asiaticorum in dicendo multus*, *id est*, inquis, *verborum copia & sententiarum multitudine diues*, quod equidem interpretamentum prolixiori etiam oratione necessum tibi fuit subjicere, quò tuam mentem ob aliena isthæc à recepto sensu verba vsurpata suspicioso merito lectori significares. Vitio quippe verti solitum Asianis, quod Adagio locum dedit, tumidum & inane genus dicendi vti vernaculum, præ quo Asianos inter & Atticos oratores diuortia ipse posuerit Quintilia-

Pagina 22.

Orat. instit. lib. 12. cap. 10.

nus, corruptæque eloquentiæ eo nomine detulerit, quòd judicium in eloquendo ac modus in iis ſit deſideratum. Quanquam, ſi Dionyſium Longinum auſcultes, verè beatus & latifundij gratiâ acceptus ille ſermo vbi, (quod negotij Galeno obuium fermè eſt) vel aliquid carpendum, vtendum peroratione, digrediendum, enarrandum ſubit, vel rerum naturalium inſtituendus ſermo. Neque tamen adeò religioſus apud te habitas tibique conſtas, quin eum quem diligentem & copioſum prædicaueras BERTINE, mox mutato propoſito leuifidus indiligentiæ deferas, quod inter ſcribendum de affectibus eorumque remediis vnius ſucci Laſeris, quem ad id negotij adhibet, neglectâ & indictâ de quâ manat ſtirpe, non meminerit; habeas licet confitentem reum qui ſe in loquacitatem omnium maximè pronum cum fateretur, nihilominus videri ſe loquaculum veritus eſt, ſibique in tantum temperauit, vt nonniſi inuitus pluribus aliquid ſcribere ſolitus eſſet: attende ad ea quibus in tale vitium inquirit & neceſſariam culpam prolixius ſcribendi excuſat. *Etenim*, inquit, *vt videtur, nihil ita garrulitatem promovet ac hominis temeritas in iis quæ ignorat. Eos nempe qui redarguunt, adigunt illi, licet quam maximè breuitati ſtudeant, vt in ipſorum incidant prolixitatem, quod & ipſe nunc experior.* Adeò optimus ille caſtigatioris ſcientiæ magiſter Galenus odioſam hanc nulliuſque frugi ceſſuram otioſi laſciuientiſque ſtyli articulationem maturiùs putandam ex animi ſententia judicabat. Vide inſuper quam nullo jure, ſummâ injuriâ eum accuſes indiligentiæ, qui id apud ſe modo inſtituti conſilijque habuit libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus aliiſque ejuſdem argumenti commentariis, vt in ſtirpium vires inquireret, edoceret vſum, non verò formam repræſentaret. Injuſtior proinde æquioribus arbitris iſta tua judicabitur

Lib. 8. in Procœmio. Περὶ ὕψους, Sect. 10. τοπηγορίαις τε γὰρ καὶ ἐπιλόγοις κατὰ τὸ πλέον καὶ παραβάσεσι καὶ τοῖς φραστικοῖς ἅπασι καὶ ἐπιδεικτικοῖς, ἱστορίαις τε καὶ φυσιολογίαις καὶ οὐκ ὀλίγοις ἄλλοις μέρεσιν ἁρμόδιος.

Pagina 23.

4. de differ. pulſ. cap. 7. ἁπάντων εὐπορώτατον εἰς τὴν τοιαύτην ἀδολεσχίαν.

2. de difficultate reſpir. cap. 11.

3. de different. pulſ. cap. 6. ἀλλὰ γὰρ ὡς ἔοικεν οὐδὲν οὕτω πολυλογίας ἐστὶ ποιητικὸν ὡς ἐπιτολμῶν ἀνὴρ οἷς ἀγνοεῖ. Et poſteà καὶ τοὺς ἐξελέγχοντας ἀναγκάζουσι κἂν ὅτι μάλιστα βραχυλογίαν ἀσκοῦσιν εἰς τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ἐμπίπτειν μακρολογίαν ὅπερ οἶμαι κἀγὼ νῦν πάσχω.

obtrectatio BERTINE, Silphij plantam Galenum non descripsisse, qui formam Perseæ arboris, quam vnam Alexandriæ vidisse testatus est, neque aliam ab ea in totius Romani tam longè latéque propagatis imperij finibus non modo silentio prætermisit, sed nullam penè ex iis etiam notioribus & indigenis stirpibus, totus cum foret in viribus assignandis, oratione studuerit adumbrare; in quo etiam studio ita se præeunti Dioscoridi addidit, vt in plurimis visus sit illius solum exemplar edidisse, quo nomine, si aduerteris, te actore & judice Plagij crimen & pœnam sit mecum continuò subiturus. Deinceps verò suscepti Apologetici immemor vaciuus virium, omissâ hyperâ pedem insequeris, vtque in idem recidas inaniter aquam consumis, nihilque aduersum loqueris, vsurpati quippe à Galeno nominis controuersiam non tibi feceram, BERTINE, sed rei; in hocque vno tota inter nos contentio stabat, vtrùm legitimo illo veterum Silphio Galenus vsus esset? an altero illius penuriâ & jacturâ succenturiato? tu interim omnem in eo ponis operam & laboras, vt ostendas in morbis curandis inter externa internaque præsidia succum Cyrenaïcum à Galeno vsurpatum. *Quod ad illa attinet*, inquis, *Collyrij cujusdam ex Basso meminit, cui ad incipientem suffusionem succi Cyrenaici drach. v. ex aliis viij. vel etiam xx.* EX PROTEO, *pro grauitate morbi adauctâ dosi admiscet.* Quibus profectò rudem te planè & somniculosum in veterum monimentis consulendis apud eruditorum vltimos traduxeris. Hæc, quod nescis, Galeni non sunt, sed Asclepiadis lib. I. externorum exscripta à Galeno, qui quidem Pomponius Bassus, siue Basus (græca enim legunt βάσος) idem videtur esse cum eo qui paulò suprà ab Asclepiade ὁ ἑταῖρος, siue sodalis perhibetur in descriptione Collyrij Artemonium dicti. At stolidi

2. de compos. med. secundum locos, cap. 2.

Pagina 24.

Lib. 4. de compos. med. secundum locos, cap. 6.

planè & imperiti ſcriptoris fuit aliud *Ex Proteo* deinceps adjeciſſe Collyrium, præ quo rediuiuus alterve Proteus meritò audieris BERTINE, qui adeò in ſcribendo vti legendo væcors in tot errorum abis & migras portenta; non authoris ſed Collyrij nomen illud eſt; Epigraphen lege *aliud Collyrium Proteus*, ob vires ſcilicet ambiguas, præ quibus in varios medendi vſus veniebat: ita enim pleraque alia pro arbitratu & ſtudio authorum ſua venditantium magnificis inſcriptionibus nobilitata ob colorem, efficaciam, notaſque & inſignia hiſce in libris comperire eſt. Si quidem eodem loci obſeruaueris * Antigoni croceum leontarium, hoc eſt leonculus appellatum, quod impreſſam leonis imaginem præ ſe ferret. Aliudque item inſcriptum Linceus à virtute quâ vim oculorum acuit. Vnde ſibi quiſque meritò habet perſuaſum, titulo tenus Apologeticum iſtud tuum legiſſe doctiſſimos illos è Collegis noſtris triumuiros, qui perhonorificâ commendatione, ceu pro embammate præfixâ, reſponſioni huic tuæ ſubſcripſere. Atque inter eos maximè M. Ioannem Degorris Medicum Regium, alioqui benè doctum ex clariſſimi Aui definitionibus medicis πρωτεὺς Collyrium eſſe principio ſuffuſionum, & ad omnem viſus hebetudinem & ad cicatrices & callos efficax; quique pro auctario iis in additamentis quibus paſſim egregium aui opus ſubornauit, nomen inſuper eſſe emplaſtri ἐκδορέως, docuit ex Galeno, quanquam in latinâ modò inſcriptione hæc vox habeatur, cùm græca habeat, * *Compoſitio Menecratis quæ cum excoriatorio emplaſtro appellatur.* Ex eodem quoque Aſclepiadis libro deſcriptum emplaſtrum illud molare dictum quod Galeno aſcribis; eidemque ſimiliter quam affingis opiatam ad ſuppuratos illam & Phtiſicos retulit Aſclepiades, nec Opiata ſed Antidotus *Cerusiana* nuncupatur, & authori

Ἄλλο κολλύριον ὁ Πρωτεύς: Et apud Marcellum, lib. de Medicam. Collyrium quod Proteus dicitur. Paulus Ægin. lib. 7. c. 16. Myrepſus, ſect. 24. de Collyriis.

* Ἀντιγόνου κροκῶδες λεοντάριον ἐπιγραφόμενον, ἐπειδήπερ γράμματι τούτῳ ἐσφραγίζετο. λυγκεὺς ἐπιγραφόμενον.

5. de compoſ. Medic. ſecundum locos, cap. 7.

* σκευασία Μενεκράτους ἡ διὰ τῆς ἐκδορέως λεγομένη.

Pagina 25.

thori Philippo (is inter rei medicamentariæ peritos ſcriptores laudatur) qui Trallianis dederat, aſcribitur, vt ipſe retulit Galenus : ad alia pergo. Poſtquam vtilem ſuccum Cyrenaicum laudatumque à Galeno ad compeſcendum febris ac præſertim quartanæ rigorem, nemine tibi contradicente, vt demonſtrares negotioſus multum laboraſti : confeſtim ſubjicis, *Quod quidem ſimilitudine virium* ὑποβαλλόμενον *Kinakinæ corticem petitis è probâ medendi ratione juxta Hippocratem & Galenum rationibus apud nos hodie præſtare conuiciſſe putamus*; de quo Silphij ſuccedaneo ita præfatus fueras. *Præterquam quod enim illa à nouitate aliena cuiuis ejus apparatum inſpicienti videbitur, in qua ad Hippocratis leges efficta, Galeni mens generatim ac vniuersè ſpiret : arduum etiam non erit ſtatuere, num ſic inſtituta, vt ſanè fuit in Theſi, Peruuiani corticis adminiſtratione, hic ipſe eàdem cum veterum medicamentis ciuitate donandus ſit, maximè cùm reſciſſo nunc Theriaces vſu, atque deſiderato Cyrenæorum ſucco, commendatiſſimis æuo Galeni Quartanæ antidotis, nouam è Kinakina arbore, nulli fortaſſis viribus inferiorem, ſi tempeſtiuè exhibita eſt, recentiorum ætas ſubſtitui curauerit.* Ita nouitati applaudis, BERTINE, vt à tuo Collegâ oppigneratæ fidei immemor facias diſceſſionem, qui nihilominus eadem cum illo ſentire paratum te dixeras, illiuſque edito de Stibio triumphante vernaculo libello ſubſcripſeras, in cujus alterâ parte attende quid de famoſo illo tuo ſucci Cyrenaici ſuccedaneo prædicet. *La Chinachina, qui eſt l'eſcorce d'vn arbre qu'on nous a NAGVERES enuoyé du Leuant, commence desja à deſcheoir beaucoup de cette haute eſtime qu'elle auoit acquiſe en ſi peu de temps pour la gueriſon des fiévres Quartes, apres que l'on a veu que la pluſpart de ceux qui l'on pris en poudre auec du vin blanc, n'y ont point rencontré de ſoulagement.* Nouitatis vanitatiſque damnatum te ſuffragatore corticem illum

Gal. 2. de compoſ. medicam. per genera, cap. 5. 7. de compoſ. medicam. ſecundum locos, cap. 5.

Pagina 26.

Pagina 1.

Pagina 18.

Pagina 384.

ex his velis nolis agnoſcas, BERTINE.

Perſ. Satyr. 5.

Nil tibi conceſſit ratio, digitum exere, peccas.

Ex his tamen, quæ in Præfationis veſtibulo propoſuiſti, veſtigium requiro quà aufugias; nouum videlicet remedij id genus eſſe dices, vtendi verò legem veterum præceptis fundatam, ac legitimæ medendi methodo conſentientem te ſectari, ſic namque

Perſ. ibidem

Pelliculam veterem retines, ac fronte politus
Aſtutam vapido ſeruas ſub pectore vulpem.

An igitur ſit ille cortex juſtum ſucci Cyrenaici ὑποβαλλόμενον (ita prophanus neſcio quis Græculus nec dum ſacris initiatus Medicinæ in aurem Batauam inſuſurrauit, ἀντιβαλλόμενον cum Medicorum filiis pro receptâ formulâ caſtigatiùs dixiſſes) leges ſuccedaneorum medicamentorum proferamus, quas olim à Pręceptore, dum in Scholis de re medicâ ac botanicâ inprimis pro munere diceret, accepiſſe memini. Succedaneorum præſidiorum vſum vt quæreret, deſcriberet indicem optima rerum artis & naturæ magiſtra neceſſitas, vtriuſque ſollicitam poſterioris æui ſedulitatem incitauit, cùm ſcilicet ægrorum, locorum, temporum nonnunquam æqua minùs aptaque ſtudio medendi conditio reſponderet, vel remediorum vices ſuaderet vis magna conſuetudinis, quâ in naturam abire illa longo continentique vſu ſæpenumerò ſolent, vel ignaua omninò reddi, ac funditùs debilitari. Nam cùm res ſibi ſuas habeat cujuſque natura laborantis, priuataque odia non minùs quàm ſtudia cum his quæ offeruntur exerceat ac probet: tum gratificari illi ex Hippocratis lege ſic plerumque jubemur, adhibitoque delectu nonnihil gratiæ concedere meritô ἰδιοσυγκρασίας, ſic mutatâ tantiſper velificatione animo facimus decumbentis, vt breui flexu portum ſecuri nihilominùs teneamus. Interdum verò aperta iſthæc omnibus terris & expoſita morborum

auxilia nemini nouerca natura voluit eâ ratione ampliari, eorumque permutatim agitari commercia, quæ certis addixit terrarum plagis ac limitibus circumſcripſit, vel anni tempeſtatibus conſtitutis, veluti ſtatis nundinis dedit proſtare ſyderum indulgentia ſingularis, ſolive gleba melior. Iſta porrò commutationis hujus, quæ arbitratu noſtro jura cedunt, his coercita ſunt legibus, vt metallica pro metallicis, pro foſſilibus foſſilia, ſtirpes pro ſtirpibus, animalia pro animalibus ſuccedant in medicinam; vtque rem minutim proſequar, radices pro radicibus, folia pro foliis, pro floribus flores, ſemen pro ſemine, liquor pro liquore vſurpetur. At quod caput eſt viribus æquis, ceu lancibus æſtimandum ſemper venit iſtud negotium commutandi, vnde ἀντιβαλλόμενα ἰσοδυνάμενα ſynonima leguntur in manuſcripto codice græco Nicolai Myrepſi, quem in Bibliotheca Præceptoris videre licuit. Ad hanc igitur libellam Peruuianum iſtum tuum corticem exigamus, ejuſque facultates cum Silphio conferamus. Quoniam, te Iudice, ſingulorum vires vna temperamenti ratio & modus ſic tenet ac regit in ſingulis, vt nullas alteri ac- Pag. 35. 41.
ceptas velis; ſuccedaneum Silphio corticem Peruuianum aſſerere nullâ prorsùs ratione queas, niſi parem & æquum in vtroque primarum qualitatum commenſum tu ipſe oſtenderis adeſſe. Quantùm verò inter ſe eo titulo diſtent, accipe ex tuis, de Kinakina quidem ſiue cortice Peruuiano hæc habes,
Guſtuque ex naturâ ſuâ non ignauè amarus, nec tamen Appendice 4. Theſeos,
acris apparet, terræ enim portione admixtâ auſteri habet pag. 10.
aliquid, temperie demùm ad ſecundum calidus in eodem ſiccitatis ordine conſiſtit. At verò de ſucco Cyrenaico Pag. 23.
adhibito præde Galeno fateris omnes ejuſmodi ſuccos è ſtirpibus delibatos caliditate & tenuitate par- Pag. 24.
tium ſuperare, in eâdem cum Euphorbio & Thapſiâ

Pag. 26. claſſe verſari, *eximias attenuandi, digerendi, infarctus*
tollendi & calefaciendi dotes obtinere. Hinc alimentum
Pag. 28. dici tu ipſe reclamas, *quod calefaciens & æſtuoſum &*
acre eò vſque viſum eſt, vt ex plantâ liquor eductus, ſi
Plinium audis, cauterij vim obtineat, ab eoque timendum
hortetur quoties interna ſubeſt exulceratio. Calefaciendi,
ſicccandique probas ampliùs vires eximias, hinc in
Pag. 33. familiam Metaſyncriticorum eodem authore Galeno
Pag. 34. transfers, eoque non ignauo calore additum medica-
Pag. 35. mento ex Euphorbio parato in neruorum vulnere,
efficaci calore atque congeneri partium tenuitate ac proinde
vi omnium digerendi maximâ ſuperat, vti ſubjungis, *diſ-*
Pag. 38. *cutiendi, attenuandi, vires ab aërea igneaque natura mu-*
tuatur. Interque calefacientia primas tenere dotes
Pag. 47. ampliùs ex Galeno, ac proinde omnium maximè per
halitum digerere, Silphij lacrymam guſtu vehemen-
tem tandem etiam ex Theophraſto prædicas. Quid
ergo ineptiùs, quid imperitiùs & inconſultiùs quàm
vbi medicamentum Metaſyncriticum operi ac votis
neceſſarium putas, nec non caloris ſiccitatiſque vir-
tus eximia & ſumma partium conjuncta tenuitati facit
artis operæ pretium, Kinakinæ corticem ſufficere,
quem inter ea modo quæ temperatiora ignauioraque
ſunt neque alterum calefacientium & ſiccantium or-
dinem ſuperant, ex eoque à Metaſyncriticorum fa-
miliâ abdicanda agnoſcis & recenſes, ita ficulnum
prorſus pro efficaci auxilium ipſe daturus. Ecquis
inde amabo negotioſum adeo in medendo Doctorem,
Pag. 70. *fortiorum illuſtriumque Claſſi*, ſi diis placet, aſcitum,
in ſequentem annum Profeſſorem benè conditum,
dogmaticorum partiarium in eo errore turpiter hæ-
ſiſſe vſquam putauerit? quem in ſe vix quiſquam de
imâ Empeiricorum Methodicorumque fæce admitte-
ret. Illi namque ſuæ ſectæ placitis acceptum ἐπιλογισμόν,
tùm ſeruant religioſiùs, quùm ἀναλογισμὸν temerè ejuras,

nec enim ſuam in commutandis præſidiis μετάβασιν priùs vſurpare ſoliti, quàm ſenſu, vel memori & integrâ obſeruationis fide bene docti paria vtrobique virium momenta comperiſſent libraſſentque diligentius; tu vero juuenili nouitatis impetu incitatus, authore nullo ac ſine conſtituto vade ſecurus, nullo judicio interpoſito inconſideratus pro Laſere corticem Peruuianum nobis ſupponis. Quid ſaltem fuerit Galeno conſilij in adornanda ex Cyrenaico Laſere aduerſus Quartanæ febris pertinax malum Antidoto, tuarum ante quàm decerneres partium fuerat nouiſſe, nec deridiculò futurum inde omnibus te ſciolum vis Kinakinæ debuerat latuiſſe; niſi hoc vno ſaltem te liberes, quod ignotum pro ignoto egregius inter Clinicas ipſe author ſubſtitueris: Galeno ſiquidem apud BERTINVM, Pag. 26. (ſic quippe mihi Galenum fas laudare, vt tibi Pollucem apud Bauhinum) Quartanariis circuitionibus Pag. 55. eo maximè nomine eſt vtiliſſimum, vbi à rigore vehementi algeſcunt, vti ferè fit in talibus morbis pro hujuſmodi melancholici humoris indole, cujus frigida ſicca terrenique craſſamenti conſors natura minùs commodum febri ad ἐκπύρωσιν igniarium eſt, innatum vero τὸ ἑδραῖον ad injuriæ moram nimiſquam pertinax; vtrique autem opportuniùs nihil ipſo Silphij ſucco facere potuerat Medicinam, quod ægrè moleſtèque caleſcentem humorem dominâ vi caloris vinceret, incitaret torpidum, craſſum tenuaret, & ad expeditiores laborantis impeditioriſque naturæ vindicias robur huic adderet, illi ad paratius obſequium vias muniret aperiretque. At vero negotioſo vbique paralogiſmo impeditum te palam fecerit vis hæc ad miraculum ſtupenda Peruuiani corticis, quâ ferociam impetumque febrilis circuitus errore penè nullo ita ſufflaminat, vt plurium nonnumquam acceſſionum vadimonium ſine præde valeat differre; quum puerili

admodum vagitu inter hæc opertanea naturæ ſacra incondite lallare auſus & quaſi propter eam operantem primaque rerum ſemina miſcentem aſtitiſſes, Lib. 1. de Diæt. Φύσιν γὰρ ἀφανέα μεταπλάσαι οὐχ οἷόν τε. quûm eam non aſpectabilem profiteatur magnus Hippocrates, reuelare ſatagis primarumque qualitatum & ſecundarum ſolis viribus priuato quodam modo inuicem commiſſis vecordiſſimus ſtudes addicere. Ecce noua in Lyceo monſtra conſtanti errore parturis, Theſ. Appendice 4. p. 10. *Ex his*, inquis, *pro ſubſtantiarum modo & qualitatum gradu ſingulari, omniumve in mixtis mutua commenſuratione quaſi proprietas aut facultas* (Vide quod monſtri edas etiam Diis Nixiis fauentibus BERTINE) *è tota rei ſubſtantia tertium quid exurgit minime tamen è forma profectum non adeo occultum quàm indictum, vndè* αἱ βοήθειαι πρὸς τὰ πάθη καὶ τὰς διαθέσεις, viſque illa ἀντιτεταρταῖα *in Perruuiano cortice.* Hæſitas deinceps nihilominus & in triuio poſito tibi ſic hæret aqua, vt rem in medio relictam deſeras; aliam à qualitatibus primis ſociiſque actionis cauſam, quanquam dubitanter in ſubſtantiæ ſimilitudine fundatam coactus fateri; Pag. 33. verùm mox de his negotium tibi mecum futurum eſt.

ARTICVLVS IV.

Pag. 27. ***Succum Cyrenaicum alendo ineptum ſuaſque propter attenuandi, incidendi, permeandi & calefaciendi ſolas virtutes in cibis cum ſtirpe admiſſum fuiſſe.***

Pag. 28. ADDIS ſubinde. *Etenim cum Silphium aliis quàm digerendi vel calefaciendi dotibus commendas atque cibis indoneum ſtatuis, caue ne illud à te velut alimentum inducatur, &c.* Hæ tuæ Artes BERTINE, queis immodeſtus injuſtuſque nimium vitiligator vel potius

otioſus rabula haberi cupis, Silphium veniſſe dixeram in Cibum & Medicinam, arguis ipſe ac reprehendis *qui in cibos conualeſcentium ad* ἀνάληψιν *adhibes, vel decidentium ad* περιφυλακὴν *ſub ſpecie dejectiui.* (ita barbarè non Plautine ſcribere ſolenne) quæ vt tibi caueres hiſce alligas conditionibus, vt in vſum nuſquam veniat *quatenus alimentum.* Quibus duo obtinere velle videris, primum vires illas medicamentoſas incidendi, attenuandi, &c. in ſubſtantiam alendo aptam cadere non poſſe, alterum nihil illius Silphio ineſſe: verùm purum putum medicamentum haberi alterando non alendo noſtro corpori idoneum. In vtroque autem grauiter te peccare, ſi ex ſcriptis communis Præceptoris prælectionibus dedoceri ſuſtinueris, lubentiſſimo animo oſtendam; idque temerè pronuntiatum facilè vt intelligas, medicamentum & alimentum, quod te fugit, ſunt relata, quorum ea eſt natura, vt id quod ſunt aliorum eſſe dicantur: Iam verò te ſubmonet Hippocrates quod bonum aut vitioſum eſt, ad aliquid debere referri. Hæc cùm ita ſint, crudè nimis & imperitè hæc à te dicta neceſſe fatearis; alimentum enim, quod bruto cedit, fit nonunquam homini medicamentum, nec ſemper tale, ſed vſu atque veluti adoptionis νόμῳ προσγενομένῳ in alimenti familiam abit aliquando. Diſcas inſuper viribus medicamentoſis non renuntiare alimenta; in alimento aliquid contrarium haberi, aliquid ſimile docebit Philoſophus; hinc illi mutari, illinc mutare datum. Quod primus omnium ſcripſerat Hippocrates priorem ſcilicet & propriam formam interdum propagari, deleri interdum; duo proinde in alimento obſeruanda meminit ὄγκον & δύναμιν, illud ad molem & aſſiduo caloris vſu detritam exhauſtamque ſubſtantiam partium alendarum pertinet inſtaurandam, hoc ad tutelam & integritatem

Diatrib. pag. 11.

Pag. 31.

Pag. 32.

Ariſt. in Categ. cap. 7. ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶν ἑτέρων εἶναι λέγεται.

Libro de Alimento. Πρός τι πάντα φλαῦρα καὶ ἀστεῖα.

2. de anima, cap. 4.

Lib. de Alimento. Καὶ τὴν μὲν ἰδίην ἰδέην ἐξεβλάστησε τὴν δὲ προτέρην, ἔστιν ὅτε καὶ τὰς προτέρας ἐξημαύρωσε.

insitæ ejus quæ vitam alit, regit, & fouet virtutis: vtroque autem nomine ac titulo Cyrenaicum succum in cibum scias olim venisse. Non excurram per incertos authorum tramites, sicuti iniquiùs calumniaris,
Pag. 23. BERTINE, sed idoneos & justos à me propositæ in Diatribâ veritatis astipulatores adhibebo, quibus tum veterum cùm recentiorum Silphium in cibum venis-
Diatribæ, pag. 11. se fides fiat. Eam in rem à me jam laudatum accipies apud Theophrastum vescum esse, & quod magis vrget optimum, assum, elixum esitari; itemque cum aceto radices recèns concisas, apud Aristophanem
Diatrib. pag. 12. in foro prostare : apud Columellam in Acetaria
Libro de Attenu. vict. c. 3. venire. Solino hanc Asbystis annonam haberi; Galeno vescos recentes Asparagos; pro viatico simul & medicina Alexandri Militibus cessisse apud Strabonem; sanis, causariis, ægris etiam familiarem vtilemque hujus vsum ab Hippocrate prædicari; Pecori quin etiam venisse in saginam ex Theophrasto commemineram, ad hæc singula viderit optimus quisque recti & veri sequester, tuæ imperitiæ arbiter, quàm insubidè responderis; quò te vertas nescius, & ab hisce peruicacis ignorantiæ vinculis expedias. Si edendo fuisse ex Hippocrate, Theophrasto, Galeno cæterisque obtinuerim, illicò reponis pro medicamento extitisse, ideóque quod graue tibi sit secundùm Theophrastum, Plinium de Silphio scripsisse
Pag. 29. *homines vescebantur*, tu ipse, sus scilicet Mineruam, dignior scuticâ, quique inter pueros vapules sinisterioris interpretis occupatâ prouinciâ adeò ob hanc voculam stomacho tuo ægrè est, addis, *id est vtebantur.* totusque es, vt intra medicamenti sortem Silphium coerceas : & quasi herciscundæ primorum corporum familiæ præfectus fores, necnon idoneus & justus integri naturæ fundi diribitor, res sibi suas habere jubes alimentum & medicamentum, communisque

nisque naturæ conjuncta vinculo, communi huic conditioni mistorum corporum renuntiare: neque interim aduertis priuatâ quâdam naturæ indulgentiâ, quasi mutatâ rerum tesserâ, alimentum nostram aliquando substantiam alterare fierique medicamentum; ac vicissim alimenti partes medicamentum explere. Latere sanè non debuit Professorem etiam ἠλιτόμηνον, crudum adhuc & mustulentum ab Hippocrate dictum, *In alimento medicinam optimam esse, in alimento medicinam vitiosam, vitiosum & optimum ad aliquid referri.* Ideóque ea omnia quæ edendo sunt, & in cibum veniunt, si qualitatibus quibusdam in alterando superent & polleant, non alimenta simpliciter, sed alimenta medicamentosa dici, vel artis nostræ candidatis obuium est: ô te fidelem & parcipromum œconomum! qui veterum annonam adeò frugaliter accuras & comprimis, vt de alimentario penu inuito & repugnante Galeno subduxeris Cicera, Lupinos, Sesamum, Erysimum, Ormini, & Viticis semen, fructum Iuniperi, Cedri: nescis Alexandrinum juuenem Medicinæ deditum, per annos quatuor, cùm sacrum sine fumo placeret, Phaselos, Fœnum-græcum, Eruiliam, Lupinos, degustatis interdum Oliuis Memphiticis, paucis fructibus & oleribus crudis obsonatum modo esse, cætera sanum & benè valentem, vti retulit Galenus, ita stultos inter nescire videris

Libro de alimento. ἐν τροφῇ φαρμακείη ἄριστον, ἐν τροφῇ φαρμακείη φλαῦρον, φλαῦρον καὶ ἄριστον πρός τι.

1. de alimentorum facultatibus capitib. 22. 23. 30. 33. 35.

Lib. 2. de aliment. facultatibus, cap. 15. & 16.

1. de aliment. facult. c. 25.

Quanta sit vtilitas Maluæ, Anthericique virentis

Vt ad Persam fratrem scribebat Hesiodus. Quod si ita tibi scribendo temperasses, vt in cibum quidem talia cedere fuisses confessus, verùm parciùs nutrire, pronum me in tuas partes eras adducturus, quibus ipse Galenus præiisset, *Commune verò omnibus alimentis est*, inquit, *quæcunque medicamentosam obtinent quandam qualitatem vehementem, vbi deposuerint illam elixa-*

Libro primo. ἔργ. καὶ ἡμέρ. οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ.

2. de aliment facult. c. 18. Κοινὸν δ᾽ ἐστὶ πᾶσιν ἐδέσμασιν ὅσα φαρμακώδη ἔχει τινὰ ποιότητα σφοδρὰν, ὅταν ἀποθῆται

τ' αὐτὴν ἑψήσεσιν ἢ ὀπτήσεσιν ἢ τέγξεσιν ὀλίγην τροφὴν διδόναι τῷ σώματι, πρότερον δ' οὐδ' ὅλως διδόντα, ταὐτὸ γὰρ τοῦτο καὶ κρομμύοις καὶ πράσοις συμβέβηκεν.

tione, assatione, aut irrigatione, parùm alimenti præstare corpori, priùs verò nihil omninò concedere, hoc enim ipsum & cæpis & porris contingit. Ex quibus abundè discas BERTINE, quô jure hanc alimenti gratiam Silphio inuideris, & maximè illi secundario, etiamsi appellare velis Cyrenaico, quòd cultu & irrigatione mansuescere didicerat; siue etiam ex beatioris glebæ indole præcipuè vesco, præ quâ Arum Cyrenarum quæsitum Romæ in cibum retulit Galenus. *Apud Cyrenem*, inquit, *è diuerso se habet hæc planta ac ea quæ in nostrâ regione crescit; minimùm enim habet medicamentosi & acris in illis locis Arum, ita vt rapis sit vtilius, ideoque in Italiam radices conuehunt, cùm sine putredine & germine durare longiore tempore queat. Manifestum verò est quòd in alimentum hæc sit melior.* Malè igitur concludis * *Calefaciendi, superflua resorbendi, nimiâ humiditate exolutas fibras siccandi, attractricem, concoctricem & expultricem sopitas in ventriculo facultates exsuscitandi viribus ornatum Silphium, dapibus & mensis admissum fuisse verisimillimum est. Vnde Theophrastus admixto etiamnum altero quodam abrotono simili meminit Silphium vi calefactoriâ, quam sortiuntur ambo, exsiccare & concoquere vnicè posse.* Ceritus profectô imaginosusque μελαγχολᾶς BERTINE, qui dicta Theophrasti inscitè corrumpis, Circæoque poculo madidus homines pecudes putas. En ipsissima Theophrasti verba, quibus illam etiam vim in Silphio purgatricem quam tueri pergis, vti fabulosam, liquidò improbat. *Contrarium verò & purgari pecudes quæ folium esitant; aiunt enim vere & hyeme in montem abigi illudque depasci, atque alterum simile Abrotono: Calida autem ambo videntur esse, nec purgationem quidem moliri, verùm resiccare & concoquere; Si verò quæpiam Ouis morbosa aut malè habita aduenerit, sanescere breui aut mori; attamen vt plurimùm sanari.* Hæc de pecoris pabulo & medicina scripta intelligis, de hominum cibo, ne gry

2. de aliment. facult. c. 63.
Κατὰ δὲ Κυρήνην ἔμπαλιν ἔχει τὸ φυτὸν πρὸς τὴν παρ' ἡμῖν χώραν, ἥκιστα γὰρ ἔχει φαρμακῶδές τε καὶ δριμὺ τὸ Ἄρον ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις ὡς καὶ τῶν γογγυλίδων εἶναι χρησιμώτερον, καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰς Ἰταλίαν κομίζουσι τὴν ῥίζαν, ὡς ἂν δὲ διαμένειν δυναμένην χρόνῳ πλείονι χωρὶς τοῦ σαπῆναί τε καὶ βλαστῆσαι· πρόδηλον δ' ὅτι πρὸς μὲν τροφὴν ἡ τοιαύτη κρείττων ἐστίν.

* Pagina 28.

Lib. 6. de hist. plant. c. 3.

Ἐναντίον δὲ καὶ τὸ καθαίρεσθαι τὰ πρόβατα τὸ φύλλον ἐσθίοντα. Φασὶ γὰρ καὶ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ χειμῶνος εἰς ὄρος ἀφιέναι, νέμεσθαι δὲ τοῦτο καὶ ἕτερον ὅμοιον ἀβροτόνῳ, θερμαντικὸν δ' ἄμφω δοκεῖ εἶναι καὶ κάθαρσιν μὲν οὐ ποιεῖν, ἀναξηραίνειν δὲ καὶ συμπέττειν. ἐὰν δέ τι νοσοῦν, ἢ κακῶς ἔχον

quidem, quibus inſuper (adeò tibi ſubruſtico palatum exſurdauit præceps in ſcribendo imperitia) alterum abrotono ſimile, peiùs miſces & condis. Nunc ad Plinium ad cujus verba velut ad offendiculum cantherino ritu ceſpitas; vt enim nonniſi pro medicamento adhibitum Silphium obtineas, areſcentem caulem in cibos veniſſe ex eo colligis. *Poſt folia amiſſa caule ipſò & homines veſcebantur*, *id eſt vtebantur*, inquis, *aſſò elixòque*, *eorum quoque corpora quadraginta primis diebus purgante à vitiis omnibus. Adeò verùm eſt Silphium ab iis* πάντα τρόπον *minimè adhibitum fuiſſe*, *niſi vt virtutis in eo Catharticæ* (ſis memor, nunc aſſeueranter de ea pronuntias) *beneficio juuari poſſent cujus ſtudio præ cæteris flagraſſe intelliget quiſquis obſeruauerit, quod nonniſi poſt folia amiſſa*, *caule ipſo homines veſcebantur*, *quò tempore ceu germinatione & fructificatione exactis*, *potentiſſimus in planta humor ſuique juris præſertim factus promouendæ purgationi longe aptiſſimus eſt. Humor igitur*, *inquit*, *Theophraſtus pluribus omnibus quum germinare incipiunt*, *ſed validiſſimus & maximè naturam ſuam oſtendens*, *quum jam à germinatione & fructificatione ceſſarunt*, *quibus completis folia decidere.* Vide quàm ſiniſtrè, ſubroſtramus ſcilicet & planè ἀπάλαιςεως tanquam dicis cauſa veterum monimenta in rem tuam trahas. Mendum quippe eo in Plinij loco cubare ex Chiffletiano codice jure & rectè caſtigatum ipſe bene doctus poteras obſeruare, ac legere Emissa, cui ſuffragatur tum conſtans ſenſuque ipſo explorata Botanicorum omnium fides, apud quos conſtat nulli è ferulaceis folia tum perire, quûm primulum caulis aſſurgit; cum etiam ſi hunc Plinij locum cum Theophraſti verbis, vti per te fas eſt, conferamus & ad hujus normam exigamus, manifeſtarij ſcribendo legendoque erroris conſcium, nemo ne integra quidem Silphij exagoga purgauerit. Ita Theophraſti verba ſonant, *ſimul autem ac ver appetit Maſpe-*

εἰσέλθῃ πρόβατον ὑγιάζεσθαι ταχέως ἢ ἀποθνήσκειν ὡς δ' ἐπιτοπολὺ σώζεσθαι μᾶλλον.

Lib. 19. nat. hiſt. cap. 13.

Pag. 29.

Lib. 6. de hiſt. plant. c. 3.

Ἅμα μὲν οὖν τῷ ἦρι τὸ μάσπετον τοῦτο ἀφίησιν ὃ καθαίρει τὰ πρό-

βατα καὶ παχύννει σφόδρα καὶ τὰ κρέα θαυμαστὰ ποίει τῇ ἡδονῇ μετὰ δὲ ταῦτα καυλὸν ἐσθίεσθαι πάντα τρόπον ἀγαθὸν ἑφθὸν, ὀπτὸν.

tum (Silphij folium sic dici priùs scripserat) illud emittit quod purgat pecora & pinguefacit multùm , ac carnes mirum in modum suaues reddit , subinde verò (siue vt Heinsius significauit) *post hæc caulem* (supple emittit) *edendo omnibus modis optimum, elixum, assum.* Siquidem μετὰ ταῦτα aduerbiali formulâ scriptum est , vt succedentes nascentis & adolescentis mox in caulem stirpis motus pressiùs significaret : aliàs attende quomodo justam τοῦ σολοικοφανοῦς suspicionem à Theophrasto amoueas, quum μετὰ ταῦτα ad τὸ φύλλον ὃ καλοῦσι μάσπετον singulariter positum reuocari modo possit ; ac licet vltrò tibi dederim ,

Lib. 9. de hist. plant. c. 1.

quod ex Theophrasti alio loco imperitè assuis , quo de succo stirpium earumque gummi & lacryma in vniuersum verba facit , nempe medicas vires tum efficaciores iis inesse quûm cessant germinare & fructus edere , ideo quòd tum puriore parcioreque succo sponte vel inflicto vulnere collacryment ; neque tamen ex arescente Silphij scapo aliquid succi quod esset commodum elici scripsit ; imò postea hæc ait ,

Καὶ γὰρ τὸν καυλὸν ὀπίζουσι καὶ ἐνίων τὰς ῥίζας ὥσπερ καὶ τοῦ σιλφίου.

& è caule succum eliciunt & è nonnullarum radicibus , vt & Laseris. Quid porrò ineptiùs ? quàm noua hæc tua ὀπισμοῦ ex exsucco tum prorsus caule parandi ratio , BERTINE, quid cupediarum maturis solibus jam consummato fructu αὔανσιν vltimam adepto Laseris scapo , & quod ampliùs vstulato cremio potuit esse reliqui ? maximè in eâ stirpe quæ cum hoc ferulaceæ gentis habeat , quod sit ἐπετειόκαυλος , quicquid succi supererat in fructum decoxit. Verùm quando respondendi suscepisti

Lib. de atten. vict. c. 3.

prouinciam , quid tandem Galeno reponis asserenti , vti monueram , Silphij stolones & cætera , vt vocat , olera siluestria dum oriuntur mandi , adultiora verò ne pecorum quidem pabulo cedere , tantum abest

Pag. 31.

vt homini veniant in cibos , in cibum penè dixeram , ni castigatiùs loqui me didicisses : Cyrenis aduectum fuisse recens adhucque viride dicere non potes , cùm

ætatem non ferat vti bulbosæ Ari radices, sicut ex Galeno scripsi. Nugaris profectò ineptè, quum ad alendum ineptum ex eo vis Silphium haberi; quod probi succi non sit; tibi ergo nullum dabitur praui succi alimentum? Quid nimiam duritiem ex natiuâ siccitate accusas? cùm caulis virentis modo Silphij foret edendo, vt ex Galeno docui. Enimvero si quid ingenui habuisset officina, adeò imperitè professorio muneri sic præuorti non sustinuisses, vt fores in ridiculo maleuolus litteratorum Rabula, jejunum planè neque nobis reclamantibus & vitiosum è Silphio alimentum venire efferre potueras: at quid mea refert qui in cibum venire dixerim, qui aliam alterandi, alendi aliam vim & substantiam in natura positam agnosco, quam malè misces, quûm jura rei annonariæ suffarraneus parum commodus depauperas. Iam verò folia Silphio perire, quum in caulem exit, error est in quem te authore inciderit nemo, qui prima rei botanicæ elementa tenuerit, id quidem nonnullis Bulbosis vt Colchico, Croco, Aro, Arisaro datum, nulli autem de ferularum classe, quin imò teneriores tum orique commendatiores stirpium Stolones & Asparagi requiruntur, quûm primorum foliorum genium nec dum vis naturæ auida impetusque surgendi in frugem defraudauit. Pag. 32.

ARTICVLVS V.

Succi Cyrenaici vim Alexiteriam ab ejus calore tenuitati partium conjuncto, adeóque suis attenuandi, incidendi, permeandi, & calefaciendi manifestis qualitatibus emanasse.

NIHIL quicquam graue ac serium ex te mihi metuendum erat BERTINE, qui tuorum ipse

errorum proditor, non doctorum animis sed rudis plebeculæ ſic adrepis, docendique partes adeò ambitiosè tibi arrogas, dum peccas grauiùs, nec tibi conſentis, cùm errare malis, eamque ſententiam quam rerum naturæ imperitus temerè cepiſti pugnaciſſimè defendere; quàm ſine pertinaciâ, vt diligentiùs exquireres, dignum doctiorum luce excutere argumentum. Cùm in Appendice ſcripſiſſes, *Succum Cyrenaicum ſolis attenuandi, incidendi, permeandi & calefaciendi viribus præditum eſſe:* ex eo arguendi dederas juſtam ſatis occaſionem, huicque Alexiteriæ virtutis nomine, quæ in ſucco Cyrenaico confeſſa apud veteres fuit, controuerſiam vt facerem, ipſe impuleras; in hæc quippe primarum ſecundarumque qualitatum opera, magna illa naturæ myſteria reuocare prophani hominis erat & juuenis in decernendo de re adeò graui nimiùm ſibi ſumentis. Audi vt de te tuique ſimilibus Gorgiis loquatur incomparabilis ille Scaliger, *Nam ad manifeſtas omnia deducere qualitates ſumma impudentia eſt. Id quod Alexandræi multi & fruſtra conati ſunt & temerè inſtituerunt; at ſaltem in venenis exempla noſtra decuit conquieſcere; eorum namque multa diuerſas habent ab elementorum qualitatibus proprietates, quæ omninò latent animos temperatos, illudunt curioſis, iidemque iſti qui ſe ſe putant cuncta ad certas cauſas reducere manifeſtas, tandem huc ſe deuoluunt, vt dicant in oculis hominis & catoblepæ eſſe principia contraria, & tamen irrident illi ſalutare aſylum illud occultæ proprietatis.* Quamobrem tanta ipſe auſus, vitium vbique feciſſe videris, ac negotium tibi creaſſe quo te diſtrictiſſimum facilè non expedias, adeò intuta tibi omnia ſe ſè objiciunt, vt vtrâque nutans ſententiâ rem in medio relinquere velle, quum docere ambis, ſæpenumerò deprehendaris; ſolas ſiquidem ejuſmodi vires effectrices in ſucco Cyrenaico haberi ſcriptâ appendice volueras, nunc verò de tuo

Pag. 9.

Diatrib. pag. 13.

Exercit. ad Cardanum 218. quæſt. 8.

more decedis, nonnihilque temperas audaculæ ſcriptionis fiduciam, erroremque vtcumque caſtigas; ipſe enim veritus es in hujus articuli epigraphè ſcribere vt in Appendice SOLIS, ſed SVIS. Ac reuerà mox alias ab his vires agnoſcis, dubius licet vtrum Galeno, an errori tuo facias; dixeras namque, *Atque ne integra conſilij mei ratio te prætermittat virtutem ſucci Cyrenaici Alexiteriam ex ejuſdem calore partium tenuitati conjuncto proficiſci velim intelligas, juxta quod ita conſtitutum deleterij veneni labes foris allecta, euanida fiat & euacuetur, aut aliter ab euidentibus qualitatibus oppugnetur*, At tibi mox Galenus aurem vellebat optimus ille diuidendi magiſter, qui ſic Alexiterias facultates ex æquo diſparauit, vt quædam ex his alterando tales haberentur, aliæ vacuando; jam verò earum quæ alterando agunt, duas ille claſſes conſtituerat pro duplici modo alterationis, quæ fit per ſimplicem aut conjugatam qualitatem, vel totâ ſubſtantiâ; earum verò quæ euacuant opus perfici totius ſubſtantiæ ſimilitudine & caliditate tenuium partium. Hæc fuere quæ te vagum animi rerumque hoſpitem ita deinceps vexarunt BERTINE, vt continuò ſcripſeris, *Etſi verò vtrâque ratione tum alterando noxij medicamenti vim, ſiue etiam venenum è corpore ducendo admiſſis iiſdem ſociiſque qualitatibus Laſer agere poſſit; vis tamen ejus præcipua elucet dum admotum parti ex eâ virus (fortaſſis aliquâ ſubſtantiæ ſimilitudine, illiſus enim vulneri ſcorpio, ſibi ipſe pulcherrimum medicamentum eſt) ſed haud dubiè & potiùs ſuâ tenuium partium caliditate foras euocat: ſi quidem tunc ſuccus Alexiterius licet, metaſyncritici medicamenti vices obit, quippe qui manifeſtè ex alto ducat, & è longinquo proliciat ad ſe quicquid veneni partibus intruſum conceptumque erat.* Deinceps verò totus es, vt ex Galeno probes Silphium inter metaſyncritica relatum, ac liquorem Cyrenaicum Ale-

Pagina 32.

5. de ſimpl. medic. facult. cap. 18.

Pagina 33.

Pag. 34.

xiterium fuiſſe & vulnerarium, ſed *metaſyncriticum non ignauo calore accitiſque ſociis qualitatibus vulnus ſecreta veneni lue purgare ſolitum.* Vide vt pugnantia loquaris BERTINE? modò namque vim Alexiteriam à Metaſyncriticâ ſejungendam ducis, quum ais, ſuccum alexiterium licet, metaſyncritici medicamenti vices obire, modò conjungis & alexiterium metaſyncriticum vocas; cumque ſecretam veneni luem fatearis, manifeſtis nihilominùs illam qualitatibus expugnare imperitiùs ſtudes. Sic te, ſecus in faciendâ medicinâ occupatiſſimum, prima medendi fugiunt elementa & præcepta; contraria ſiquidem contrariis curari ſolent, vt pote quæ ſola agere & pati, tranſmutarique inuicem apta nata ſimul eſſe cùm nequeant, ab eâdem ſubjectâ materiâ ſe ſe inuicem valeant deturbare. Iam verò quoniam agendi patiendique ſui ſunt cuique conſtituti carceres, nec agit patiturve quidquam niſi præfinitò, determinatuſque is naturæ διαυλοδρομοῦντος excurſus eſt. Contraria vti voluit Philoſophus omnia neceſſe in eodem genere eſſe, aut in contrariis generibus, aut hæc ipſa genera fore: Ideóque circa idem ſpecie aut genere ipſa nata verſari. Ex quibus, etiam te judice, colligere vacat & datum eſt, cum ſecreta veneni ſit lues, vim quoque ipſius ſecretam quam Alexiteriam dicimus, nec manifeſtis proinde addicendam qualitatibus, habendam eſſe, quæ propriâ ratione hanc è corpore depellat. Propriâ ratione dixi, ne tuo ſtatim obnoxius elencho venirem BERTINE, qui craſsâ adeò & pingui Mineruâ in aperto & pro patulo ſenſibus ipſis proſtare quum jubes ſacra naturæ, ambitiosâ prorſus ac ſtolidâ opinione ſcientiæ

In Prædic. cap. 8. Τὸ αὐτὸ ἢ εἴδει, ἢ γένει πέφυκε γίνεσθαι τὰ ἐναντία. Et poſteà, Ἀναγκαῖον δὲ πάντα τὰ ἐναντία ἢ ἐν τῷ αὐτῷ γένει εἶναι, ἢ ἐν τοῖς ἐναντίοις γένεσιν, ἢ αὐτὰ γένη εἶναι.

Horat. Epiſt. lib. 1. Epiſt. 20.

Majores pennas nido extendiſſe videris.

Ecce enim illotis pedibus illius adyta auſus læuo omine ſubire, ne Galenum quidem benè monentem auſcultaſti,

tasti, justa daturum alioqui Alexiteriis diuortia. Venenis siquidem vt occurreret, has in vniuersum machinas prudenter excogitauit, adhibuitque salutaris disciplina, vel vt illorum vim pestiferam momento temporis facili expositoque patentium vndique viarum commercio ab ambitu corporis in ima vsque penetralia vitæque lares subeuntem, quantocyùs curaret deuocari ac remetiri viam opportuno μεταςυγκριτικῆς ἀγωγῆς præsentique beneficio: quod quidem nec solis manifestis qualitatibus debemus, si rei medicæ optimos quosque doctores consulueris, atque huic exturbandi, euocandi, eliminandique modò veneni, cura est; vel vt admissam receptamque imis visceribus luem cominùs expugnet, idoneisque alexiteriis ingestis admotisve, tanquam auxiliaribus artis copiis, naturæ de vita laboranti accedat locetque operam. Illa porrò alexiteria non vnius gentis sunt, sed in res illius, quæ adurgent, priuatim maturoque judicio destinantur; interdum quippe satis est operæ, si infesta primarum secundarumve qualitatum potentia cogatur in ordinem coerceaturque, interdum occultis illa quibus sæuit serpitque cuniculis aggredienda superandaque venit; ita pateat tibi obuia sensibus venenorum medicina lac, oleum, mel, aqua, & omnis rei elementariæ supellex. Est alterum insuper secretius & in recessu conditum naturæ penu alexiteriorum quæ dedit vsus, casus inuenit, nihil arti, nihil industriæ debiturum; quæ quidem alexiteria non minùs quàm venena ipsa, vti vocat Dioscorides, ἀναντιολόγητα meritò judicabimus, quæ sola pro criterio afferant & probent documenta & pericula plurium mortibus exercita. Hinc, quàm frigidè & inaniter philosopheris, obseruare cuiuis facis integrum, quûm rerum causarumque naturalium reddendarum negotiosâ istâ plurimùm te oneras procura- Proœm. in Theriac.

tione, cujus amplitudini nonnunquam etiam derogare haud erubeſcis, vbi vim Theriacæ metaſyncriticam eximio calore & ſubtilitate partium transferendo veneno abundè parem prædicas, *cæteris non neglectis*, atque iterùm vt obtineas æquam metaſyncritica aſſumpta admotave gratiam inire, ſicque liquorem Cyrenaicum laudari ſingulare rabidi canis ſcorpijque veneni alexipharmacum; hæc habes, *Nec enim implicat, pugnantiave dicit, vt idem medicamentum, quod quidem qualitatis efficaciſſimæ interuentu, adjunctiſque amicarum copiis foras impoſitum non ignaue trahit, ejuſdem & aliarum ductu alterando, ſeu ſub aliquâ contrarietatis ſpecie, aduerſas veneni vires intro aſſumptum oppugnet, retundatque.* Dic ſodes BERTINE, quænam illa ſpecies contrarietatis? nomine perplexo ne appelles, vnum deuoraſti nomen imprudens, hancve in te denuò cudendam fabam metuis, ſi tanquam Dialis flamen inauſpicatò nominaueris, ſi certum quemdam minimè obuium ſenſibus, neque ideò explicabilem primarum qualitatum modum & commenſum tibi fingis, trahendique vnam in calore ponis cauſam? An ad illum jure quis referat in ſcorpio venenum & remedium? Herculei lapidis æterna miracula? vires etiam alterius corporis objectu nihiloſeciùs integras, in tenuiſſima cuſpide vel leuiſſimo affrictu duraturas, nihil intertrimenti detrita vſu ſenſuras, fideli conſtantique ad polum inclinatione? Neve te pluribus morer ac impediam, vires præcipuas attende ſuis circumſcriptas polis, hinc cum ferro odia, illinc ſtudia eundem lapidem exercere, hinc adoptare ſibi, illinc abdicare. An perpolitum ferrum tibi calidius, quia ferri ſcobem ad ſe rapit? rude ac indigeſtum frigidius, quia negligit nec ſibi applicat? alium à calore quæras oportet paranymphum, qui ſuccinum cum ſtramine connubio jungat ſtabili. Verùm in te am-

Pag. 34.
Pag. 36.

pliùs reuincendo tuis insistamus exemplis. Ita de succi Cyrenaici efficaciâ ad rabiosi canis morsum loqueris, vt totam calori tenuitatique substantiæ referas acceptam. *Sic enim propinatus liquor Cyrenaicus, qui tam citò subit, partiumque tenuitate penetrat, corde anteoccupato hoc vindicare potest ab infensà veneni rabiem accersentis aurà, quæ lentè progreditur: tumque calore suo tetram, crassam, atque melancholicam veneni fuliginem discutere, & infringere. In rabie omnia frigoris plena apparent, tristitia, pauor, lucis odium, frequentiæ hominum fuga, tremor conspectà aquà, repentinus in obuios furor, quæ quidem melancholicum significant symptoma. Et reuerà ad hydrophobiam melanagoga commendantur, Elleborus & alia, illaque verè* κυνόλυσσος, *pro causà habet sanguinem perustum, & quæcumque in animali ad atrabilarium temperamentum jam procliui, succum atrum generant.* Etiamne hydrophobiam & cætera veneni hujus ἔγγονα algere putas, quæ proinde calori succi Cyrenaici cessura sint? longè à vero aberras BERTINE, aliter longè visum Democrito, qui hydrophobiam neruorum incendium aiebat esse, hincque ideò plerosque Medicos in frigidam, nonnullos in puteum solitos demergere laborantes Actorius meminit: quin imò eum affectum ob acutissimam celeritatem mitigatione indigere, nec irritandum corporatiuis, quæ metasyncritica vocant, vti Aristoxeno placitum erat, Tullius Bassus reputabat: eosque qui Elleborum propinarent arguit etiam ipse Cœlius, *cùm sit*, inquit, *passio acuta atque celeris & vehemens, & sæpissimè continua; quippe cùm nunquam puram atque sinceram habeat dimissionem, & est Elleborum recorporatiuæ virtutis, ac propterеà tardis passionibus conueniens, quas Græci Chronias appellant.* Quòd si frigida nihilominùs Cœlio incongrua habita legeris, id ex Methodicæ sectæ, in quam jurauerat, decretis censuit, quæ hydrophobiam ad-

Pag. 36.

Cœlius acut. morb. lib. 3, cap. 16.

ſtrictum affectum reputabat. Certè, ſi eorum quæ vrgent ſymptomatum ineamus rationem, calidæ & ſiccæ diſpoſitionis luculenta venient argumenta. Audi Galenum, *Non ſolum enim*, inquit, *ipſis corpus areſcit conuelliturque, interdum etiam acri intus febre exuritur, verum etiam mente delirant, & difficillimum ipſis infert ſymptoma, aquam enim extimeſcunt, & ob ſiccitatem plurimam humoris cupiditate tenentur.* Audi Aetium ex Rupho & Poſidonio ſic loquentem. *Canes calidi & ſicci naturâ cùm ſint, conſequuntur per æſtatem ab ambiente aëre caliditatem aliam & ſiccitatem, atque ex immoderatione intemperiei in inſaniam decidunt, quæ rabies dicitur.* Frigidioriſne affectus index ſitis illa vehemens, quæ canes hominesque rabioſos enecat? Nonne liquidò ſatis ardori vitalium anteſtatur exerta lingua ſic anhelare frigus? ac meritò tibi videbuntur frigoris plena melancholica ſymptomata? Adeone tibi friget atra bilis BERTINE, vt terreni elementi conſortem putes? nihilque diſcriminis crudos inter coctoſve in calcaria lapides ſubire credis? Tene præterit illius qualitas acerrima luculentique ac putredinoſi caloris benè alioqui conſcia ζύμωσις? vt proinde frigidis tenuiumque partium medicamentis atræ bilis venenum expugnandum ſibi propoſuerit notus ille Aetio ſenex, qui ſola oxalide pro efficaciſſimo medicamento à cane rabido demorſis faciebat Medicinam, hujus ſcilicet decocto vlcus perfundebat, herbâ integebat & ad potum vtebatur; neque tamen calidi Alexiterij, tuique proinde ſucci Cyrenaici, vim planè ſalutarem ipſe damnauerim, ſed vt teneas alio prorſus conſilio talia exhiberi, neque caloris merito quæri ejuſmodi Alexiteria & probari, cum priuatas ſibi in medendo leges methodo alioqui receptiſſimæ prorſus aduerſas habeat veneni lues peſtifera, ſiue admouenda vulneri præſidia cogites, ſiue propinatis potionibus ingeſtiſve

Lib. de Theriac. ad Piſonem, cap. 16.
οὐ γὰρ μόνον αὐτοῖς τὸ σῶμα ξηραίνεται καὶ σπώμενον γίνεται ἐνίοτε καὶ πυρετὸν δριμέως ἔνδοθεν καίεται, ἀλλὰ καὶ γνώμη παρανοεῖ καὶ τὸ χαλεπώτατον αὐτοῖς φέρει σύμπτωμα, τὸ γὰρ ὕδωρ φοβοῦνται, καὶ διὰ μὲν τὴν πολλὴν ξηρότητα τοῦ ὑγροῦ ἐπιθυμίαν ἔχουσι.

Lib. 6. cap. 24.
οἱ κύνες θερμοὶ καὶ ξηροὶ φύσει τυγχάνοντες ἐπικτῶνται κατὰ τὸ θέρος ἐκ τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος ἑτέραν θερμότητα καὶ ξηρότητα καὶ τῇ ἀμελείᾳ τῆς δυσκρασίας ὑπομένουσι μανίαν ἣ καλεῖται λύσσα.

Pag. 36.

οἶδα δέ τινα πρεσβύτην. ὁπότε δηχθείη τις ὑπὸ κυνὸς τῇ ὀξαλίδι μόνῃ θεραπεύειν, καὶ γὰρ κατέχεε τοῦ ἕλκους τὸ ἀφέψημα, καὶ κατέπλαττε τῇ πόᾳ, καὶ πίνειν ἐδίδου ἀπ' αὐτῆς καὶ σφόδρα ἐπῄνει ὡς ἰσχυρὸν τὸ φάρμακον.

vis inimica vitæ euincenda ſit. Eadem quippe vulneris à rabido cane aliove inflicti facies, quæ methodico imponit, contrariæ indicationis juſtam legem conſtituit dogmatico vti ſcripſit Galenus, hinc illud irritare ſatagit ac feſtinat Epiſpaſticis, Metaſyncriticis quibuſcunque labra vulneris ampliare & diducere ferro, igne inſtructus in procinctu cogitat, omnibuſque machinis, ne maturiùs coeant, cauet; hoc vero blandis medicamentis demulcere curat illico, purgare, reſiccare & ad cicatricem quamprimùm deducere. Vnius etiam venenatæ labis rationem ſecum benè ſubductam habuere Hippocrates & Galenus, quum graſſante febre peſtilenti, ignes ille totâ Græciâ ſuccendi juſſit, hic Theriacæ præſentiſſimum Alexipharmacum concinnauit, laudauit, vſurpauitque, quoniam ſcilicet in morbis profligandis πρὸς δ᾽ καλεπαῖγον quicquid in nobis eſt operæ, vt conuertamus præſentariæ necnon ὀλιγοκαίρυ medicinæ leges jubent: jam verò aliud in hydrophobis atræ bilis venenum etiam inuito cogitandum tibi erit aſſignandumque, vbi nec caloris, nec morſus, vel eroſionis querela, vti in dyſenteriâ & cancro maleficam exerceri deprehenderis; verum omnem illius injuriam ad cœca quædam μιάσματα, nec ſenſibus obuiam quandam νοσερὰν ἀπόκεισιν, inde reſcies pertinere, ex quo vel ipſo oris ſpiritu obuios quoſque inquinant & in rabiem agunt canes vt notauit Aretæus. Denique ſi calore & tenuitate ſubſtantiæ ſtaret beneficium Silphij atque adeo fundus omnis Alexiteriæ facultatis, quî fieri poſſet, vt par ab aliis contrariâ temperie præditis gratia accederet? Dioſcoridi ſiquidem inter Rabioſi canis Alexiteria recenſentur Cancrorum fluuiatilium toſti oculi, ijque ex aqua propinati vel impoſiti vulneri, Ranæ in cibo ſumptæ, ſambuci folia aut plantaginis cum ſale, Mitulorum caro, Erui farina

Lib. de Ther. ad Piſon. cap. 16.

Lib. 1. acut. cap. 7. Ἀτὰρ καὶ ἀπὸ γλώσσης (fortè λύσσης vt notatum in margine) κύνος εἰς πνεύσαντος μοῦνον ἐς τὴν ἀναπνοὴν οὔτι μὴν ἐνδακόντος λυσσᾷ ὁ ἄνθρωπος.

Libro 2. Parabilium, cap. 122.

cum melle admota, Succerda cocta cum aceto, vel præmanſa mala perſica. Ne Alyſſon plantam nomine ipſo commendatiſſimam prætercam, quæ nullo caloris exceſſu inſignis vires in rabidi canis venenum præcipuas obtinet, de quibus quid Galeno aduerſum te mentis ſit, auſculta, *dicitur quidem Alyſſon herba eo quòd mirum in modum juuet eos qui à cane rabido demorſi ſunt, quin & jam rabioſo data ſæpè perſanauit, id autem valet præſtare præ ea quæ ſecundum totam ſubſtantiam eſt ſimilitudine; dictumque priùs eſt, quòd talis virtus ex ſolâ experientiâ colligitur, ac nullâ omninò viâ comprehendi queat.* Hunc eruditis ne dum tibi limitem vltimum poſitum ſcias BERTINE, quem ſine rerum artiſque quam profiteris tituli injuriâ non tranſgrediaris, quàm abſurda ſcilicet loqueris, quûm à Galeno, quem alioqui dum ore agnoſcis, ſcripto ſimul ejuras, nullâ non tui liberandi cauſâ, facis diſceſſionem. Contendis etenim ſucci Cyrenaici dum ingeritur vim illam metaſyncriticam ſub alio licet reſpectu exeri, ejuſdem partium tenuitate præuerti virulentæ auræ lentum in cor & vitalia impetum, calore craſſam & melancholicam veneni fuliginem diſcuti infringique: ſi namque Galenum adhibeas conſultorem, non adeò pigrum rabiei virus eſt & tardigradum, quanquam non erumpat protinus in apertam injuriam, ne idcircò feriari putes. *Manifeſtum enim eſt*, inquit, *quòd in illis neque otiatur, neque conquieſcit canis venenum, nullum ſui ipſius documentum præbet, multis interdum ſubinde menſibus, de repente verò ipſis aquam aſpectantibus evenit formidare, & exinde jam breui intereunt multo quidem tempore adauctâ eâ quæ rabiem excitat causâ, vbi ſemel ad id deuenit celerem mortem infert.* Niſi itaque ante inflictum vulnus cor ipſum Silphij alexiterio benè munieris, nullâ ratione queas cæcæ luis maleficia præoccupare. Neque porrò in vene-

6. de ſimplic. medicam. facultat.
ὠνόμασαι μὲν ἄλυσσον ἡ πόα διὰ τὸ θαυμαστῶς ὀνινάναι τοὺς ὑπὸ λυσσῶντος κυνὸς δεδηγμένους, ἀλλὰ καὶ ἤδη λυττῶντι δοθεῖσα πολλάκις ἐξιάσατο, τοῦτο μὲν ἐκ τῆς καθ' ὅλην οὐσίαν ὁμοιότητος δύναται καὶ λέλεκται πρόσθεν ὡς ἡ τοιαύτη δύναμις ἐκ πείρας τε μόνης λαμβάνεται καὶ παντάπασιν ἀμέθοδός ἐστιν.

Pag. 35. 36.

Comment. tert. in 3. epid. ad hiſt. Phrenitici.
Πρόδηλον γὰρ ὅτι κἀκείνοις οὐκ ἀργῶν οὐδ' ἡσυχάζων ὁ τοῦ κυνὸς ἰὸς, οὐδὲν ἑαυτοῦ γνώρισμα παρέχει πολλῶν ἐφεξῆς ἐνίοτε μηνῶν, ἐξαίφνης δ' αὐτοῖς συμβαίνει θεασαμένοις ὕδωρ φοβηθῆναι, κᾆν τεῦθεν ἤδη διὰ ταχέων ἀπόλλυσθαι, πολλῷ μὲν αὐξανομένης χρόνῳ τῆς τὴν λύτταν ἐργαζομένης αἰτίας, ὅταν ἅπαξ εἰς τοῦτ' ἀφίκηται ταχὺν ἐπιφερούσης τὸν θάνατον.

natæ fuliginis ac melancholicæ ſic edomanda tibi, quam fingis, craſſitie, ſed vi maleficâ & ſine nomine labor tibi futurus eſt, quæ in ſpumâ canis venenum habet, in ſanguine alexiterium. Explica igitur quando ambitioſâ adeò de omnibus in propatulo philoſophandi paupertate ita ſapis vnus, infeſtas illas rabidi canis veneni in ſpumâ animâque qualitates, amicas & ſalutares in ejuſdem ſanguine; neque adeò frigidè de vi ſenſibus imperuiâ, menti inacceſsâ deinceps ſtatuas: in eodem namque hæres luto, torpidoque & bardo prorsùs genio de torpedinis vi torpidâ ediſſeris, quæ in ſtupore & epoche doctiorum non *fortiorum* gentem omnem detinet, neque enim vti putas illos moratur torpida affectio, quam inducit piſcis ille torpedo inde dictus de Cartilagineorum & planorum claſſe, ne fabulam putes, liguribus *Tremorize*, Maſſilienſibus *Dormiliouſe*, in fidem notiſſimæ virtutis vſque hodie notùs, ſed modus. Eſto quidem frigoris ſit is impatientiſſimus, ſic vt per hyemem terra ſe ſe condat, vt ex Theophraſti libro de iis animalibus, quæ ob frigora latent, meminit Athenæus, ſitque illi natiua dos frigoris adeò eximia, vt chronicos capitis dolores acerrimos demulceat, peruerſum aut prociduum anum reſtituat; quâ ratione momento temporis vim illam extenſa per ligna & fuſcinas tranſmittat, quæ torporem manu tenentibus inducat; vt teſtatus eſt eo loci idem Theophraſtus libro de iis quæ morſu ictuve ſunt venenata; hoc nempe mirum, ſegnem adeò minuſque per ſe efficacem qualitatem frigoris & torporis, etiam ſi non tangatur, etiam per lineam, inquit Scaliger, manibus impingi, eôque propagari tam breui ſpatio poſſe, quô ne quidem vis ignis domina poſſet peruenire; ex quo non videtur ſatisfacere virtus frigoris ſumma quam nonnulli cauſantur apud Galenum, *Quidam*

Pag. 36.

Lib. 7. Deipnoſ.

Dioſcor. lib. 2. cap. 17.
Πραΰνει δ' σφοδρὸν τοῦ ἀλγήματος καὶ ἕδραν τὴν ἐκτρεπομένην προσπίπτουσαν, στέλλει.

enim arbitrantur, inquit, *ex solo contactu quasdam substantias ea quæ prope sunt alterare posse, solâ quæ secundum qualitatem est potentiâ, hanc enim aiunt & in marinâ torpedine vim percipi, quæ adeò potens est, vt per piscatoris fuscinam propagatâ in manum alteratione torpidam confestim ipsam totam reddat.* Aliam fortè Clearchus Solensis Peripateticus libro de torpedine causam suppeditaret, nisi alioqui desideratum nobis opus ex eo referre prolixitatis tædio renuisset Athenæus, quanquam ipse satis alioqui diligens ex Diphili Laodicensis commentariis in Nicandri Theriacâ meminerit non corpore toto, sed aliqua modo parte torpedinem vim illam ναρκωτικὴν representare, quam Oppianus lumbis circumscriptam cecinit.

Lib. 6. de locis affect. c. 5. Τινές δ' ἡγοῦνται καὶ τῷ ψαῦσαι μόνον ἐνίας τῶν οὐσιῶν, ἀλλοιοῦν δύνασθαι τὰ πλησιάζοντα, μόνῃ τῇ κατὰ τὴν ποιότητα δυνάμει, ταύτην γὰρ φησὶν κἀπὶ τῶν θαλαττίων ναρκῶν ὁρᾶσθαι δύναμιν ἰσχυρὰν οὕτως ἐχουσαν, ὡς καὶ διὰ τοῦ τῶν ἁλιέων τριόδοντος ἀναδιδομένης τῆς ἀλλοιώσεως εἰς τὴν χεῖρα, ναρκώδη παραχρῆμα πᾶσαν αὐτὴν γίγνεσθαι.

Inualidæ dat opem, vis ilibus abdita fraude,
Innati radij lateri junguntur vtrinque
Bini, quos veniens si quis contigerit, omnis
Protinus hinc cedit vigor artubus & cruor illi
Inde coit, nec sunt languentia membra ferendo:
Soluitur at tabido, stolida torpedine robur.

Lib. 2. Ἁλιευτικῶν
Ἀλλ' οἱ ἐν λαγόνεσσιν ἀναλκέϊης δόλος ἀλκή,
Κερκίδες ἐμπεφύασι παρὰ πλευρὴν ἑκάτερθεν.
Ἀμφίδυμοι τῶν εἴτις ἐπιψαύσειε πελάσσας
Αὐτίκα οἱ μελέων σθένος ἔσβεσεν ἐν δέ οἱ αἷμα
Πήγνυται, οὐδ' ἔτι γυῖα φέρειν δύνατ' ἀλλ' οἱ ἀλκὴ
Ἦκα μαραινομένοιο παρίεται ἄφρονι νάρκῃ.

Ac reuera ne frigidæ alioqui affectionis torpedinis contactu inductæ vno simplicique nomine id fiat, multa reclamant, tam præsenti siquidem maleficio obsistit tum segnior natura & efficacia vis frigoris, quam vt illico per lineam ceu per traducem à torpedine in alto gurgite condita manum piscatoris, ne acriore etiamnum gelicidio sic præstringendam inerti torpore vinciat ac debilitet, nullo præuio sensu frigescentis corporis aut mora interposita, quâ alterationis inter contraria & à contrariis suscipiendæ vis omnis se tenet. At referes ex Oppiano frigescere exinde manum, atque adeò corpus vniuersum piscatoris.

Ingenium neque læsa suum torpedo reliquit,
Vulnere dura ferens, acrique prehensa dolore
Ilia funiculo namque applicat: illico setis

Lib. 3. Ἁλιευτικῶν.
Ναὶ μὴν καὶ νάρκη σφέτερον νόον οὐκ ἀπολείπει
Πληγῇ ἀνιάζουσα τιταινομένη δ' ὀδύνῃσιν
Ὁρμῇ λαγόνας προσπτύσσεται, αἶψα δὲ χαίτης

Decurrit

Decurrit mediis & arundine venit ab ima
In piſcatoris dextram, de nomine piſcis
Torpor nomen habens, hinc ſæpè feralis arundo
Armaque de dextra ſunt piſcatoria lapſa
Talis adeſt manibus ſubito vis frigoris hujus.

Ἱππεύς δόνακός τε διέδραμεν ἐς δ' ἁλιῆος
Δεξιτερὴν ἔσκηψε φερώνυμον ἰχθύος ἄλγος
Πολλάκι δ' ἐκ παλάμης κάλαμος πέσεν ὅπλα τε θήρης
Τοῖος γὰρ κρυστάλλος ἐνίζεται αὐτίκα χειρί.

Nempe procliue eſt dicere deleteriâ vi torpedinis momento communicatâ inſitum laborare calorem ac penè profligari, ſicque manibus induci injuriam frigoris malefici, nihil de cætero hujus conſcia frigidæ naturæ vi, quæ vt vitæ plurimum inimicatur, nec in viuente torpedine poteſt excogitari tanta, nec dum etiam eadem extincta, cum ſit pro facili cibo, vt docuit Galenus, quum agit de cartilagineis piſcibus, *Mollem vero in ſe carnem habent*, inquit, *Torpedo & Paſtinaca, ita vt ſuauis ſit, per aluum ſubeat moderatè, nec ægrè coquatur, ſed & moderatè nutriat*; quinimo præ ea Raiam ſubinde ſtatuit δυσπεπτοτέραν. Quamobrem vt iſtam quæ Torpedini ineſt ſtupefaciendi vim Galenus ſolo ſenſu patere, neque vllis adeò exquiſitis rationibus poſſe oſtendi, vt inuitos in eas etiam partes adducerent, te doceret, eam in exemplum adhibuit, quum aduerſus Eraſiſtrati dogma ejuſque ſectarios diſſereret, qui ideò in antris charoniis tetrâue aurâ ſuperinductarum recente calcis tectorio ædium prunarumve extinctarum denſo & caliginoſo halitu hominem exiſtimabant ſuffocari, quod aerem ſic nimis tenuatum neque admitterent, neque facilè continerent arteriæ, hincque ſpirituum inopiâ illum interire; vbi namque inanem idcirco meritò videri Eraſiſtrati diſcipulorumque ejuſmodi ratiocinationem ſignificaſſet, ac inſtaret, neque tum arteriarum motus, qui ex hoc Eraſiſtrati dogmate non modo incitari & minui, ſed tum deſinere omnino debuerant, illos videri magnitudine inferiores vel temporis ſegniores commenſu, ita deinceps reponit ille, *ſed ſi Eraſiſtrati, inquiunt*,

3. de aliment. facult. c.36.
Μαλακὴν δ' ἐν αὐτοῖς ἔχει τὴν σάρκα νάρκη τε καὶ τρυγών, ὥσπερ οὖν καὶ ἡδεῖαν ὑπιοῦσάν τε κατὰ γαστέρα μετρίως καὶ πεπτομένην οὐ χαλεπῶς, ἀλλὰ καὶ τρέφει μετρίως.

Lib. 6. de vtilit. reſpir. c. 4.
Ἀλλ' εἰ τὴν Ἐρασιστράτου φασὶ διαβάλλεις, αἰτίαν εἰπέ; λέξω

δ' ἐὰν πρότερον ὑμεῖς εἴποιτέ μοι διὰ ποίαν αἰτίαν θαλάττιοι ζωγρεῖς νάρκης ἁψάμενοι ναρκῶσι, εἰ δ' οὐδὲν λέγειν ἔχετε, τούτω ὁμῶς ἡμῖν εἰπεῖν συγχωρήσετε τὴν δύναμιν εἶναι τοῦ ζώου ναρκωτικὴν, τῶν ἁψαμένων οὕτως ἰσχυρὰν ὥστε καὶ διὰ τοῦ πεπηγότος αὐτοῦ τοῦ τριόδοντος εἰς τὰς χεῖρας τῶν ἁλιέων ῥαδίως ἀνατρέχειν τὸ πάθος οὐκοῦν συγχωρήσετε εἶναι τὰς ἰχθύων ποιότητας καὶ δυνάμεις ὧν αἱ μὲν νάρκην αἱ δὲ κάρον, αἱ δὲ ψύξιν, αἱ δὲ σῆψιν, αἱ δ' ἄλλο τι φέρουσι κακόν.

reprehendis causam, tu profer? dicam vero si priùs vos mihi dixeritis propter quam causam marini Piscatores contactâ torpedine stupefiant, quod si nihil habeatis dicere, hoc simul nobis pronuntiandum concedetis, virtutem esse animalis ea quæ attigit stupefacientem adeò validam, vt per infixam ipsi fuscinam in manus Piscatoris affectus facilè recurrat, nunquid dabitis esse piscium qualitates quasdam & virtutes, quarum aliæ torporem, aliæ soporem, aliæ perfrigerationem, aliæ putredinem, aliæ vero aliud quid mali importent? Verùm audio te seruorum graphicorum more * mussitantem Greuinum cæterà stibij atque stibiatrωn odio dudum amicum me diuisui habere, qui * non modò succum Cyrenaicum Benjoinum esse prædicat, sed manifestis qualitatibus torpedinis veneno alexiterium fore. Mei esse me mancipij velim hodie rescias, BERTINE, nec ex more genioque tuo seruire omnibus, hoc mihi libertatis reliqui volui, vt plena ab iis discedendi semper & integra copia superet, qui de vero & recto singulari opinione vel tantulùm deflexere. Maritumis per me licet vt moribus vtaris & viuas, meis vicissim vt viuam permitte ac sine tandem vti præconcepto Hippocratis voto exoratus liberæ artis libera nobis opera relinquas; singulare in torpedinis veneno requiro maleficium, in succo Cyrenaico Alexiterium quod vires momento probet, quod nulli sensibili qualitati addictum constanti periculorum fide liqueat; vis ignis siquidem ad cor & vitalia partesque principes non peruadit momento vt veneni ejusque non deurentis modo, sed si vires ex sensu æstimes plane ignaui: vno verbo tuis stabo conditionibus. *Quemadmodum enim lethalium venenorum minima pars*, vt ais, *momento temporis immutat sibique simili affectione alterat, non secus antidota seu alexipharmaca contraria lethalibus alteratione totum etiam corpus immutant.* Hinc tandem conclude, neque manifestis venena, qua maximè talia,

* Pag. 37.

* 1. de venenis, cap. 13.

Pag. 38.

qualitatibus nocere, nec prodesse alexipharmaca, quæ sub exiguâ mole tantùm virium celant; nihilominus quò hunc tuum errorem imperitorum auribus propitiis authoratiùs consecres, Galeni vestigiis insistendum

Pagina 38.

tibi eâ religione es professus, vt *præ eo Dioscoridis aliena mendacique fide innixa experimenta proferentis vel sapientis Fernelij* (adeò rimosum vitium vndique facere diuersarumque cupis videri partium) *Vbi totius substantiæ conuenientiam aut repugnantiam proponit, quæ puteo Democriti æternùm demersæ latebunt, partibus assentiri* malle te scripseris. Vide quæso quàm temerario imprudentique verbo tute leuifidus obliges, in eo non discessit à Galeno Fernelius, ne dissimules, perge legere, quæ ex eo ascripsisti ac mutilasti, nonnisi

Pagina 38.

truncum data opera nobis redditurus, inanes ille Pelopis præceptoris ratiunculas sugillauerat, quibus studebat demonstrare aduersus rabiei venenum cancrorum fluuiatilium non verò marinorum cineres remedio præsentissimo esse, cum enim ejusmodi cinerem siccandi vi præstare scripsisset primùm ac subinde addidisset, *Proprietate verò totius substantiæ mirabiliter à rabido cane demorsis opitulatur*, ita tandem conclusit. *Neque igitur Pelopis rationem vti veram admisi contradictiones frequentes habentem, verùm cancros existimo secundum proprietatem totius substantiæ prodesse.*

11. de simpl. medic. facult.
Ἰδιότητι δὲ τῆς ὅλης οὐσίας θαυμαστῶς ἐπὶ τῶν λυσσοδήκτων ἐνεργεῖ.
οὔκουν οὐδὲ τὸν τοῦ Πέλοπος λόγον ὡς ἀληθῆ προσηκάμην ἀντιλογίας ἔχοντα συχνάς, ἀλλὰ καὶ τοὺς καρκίνους ἡγοῦμαι κατὰ τὴν ἰδιότητα τῆς ὅλης οὐσίας ὠφελεῖν.

Hæccine à Fernelij, *antipathiæ, sympathiæ proprietatum latentium causarum occultarumque qualitatum satellitio* aliena reputas BERTINE? omniumque diligentissimo fidissimoque scriptori Dioscoridi protervè injurius dicam,

Pag. 39.

audes scribere; de cujus in materia medica describenda studio ac diligentiâ tum alibi sæpe, vt superiùs monui, cum libro 4. de composit. medicam. per genera adeò fecit honorificam Galenus mentionem, vt nulli eorum qui se in materia medica exercuerunt secundum prædicet. Et sanè neque est quod

Cap. 1.
Τὸν Διοσκουρίδην οὐδενὸς ἂν τις εἴποι δεύτερον τῶν περὶ τὴν ὕλην ἰατρικὴν σπουδασάντων.

in eo fidem vſquam deſideres, ſi quæ etenim ſuis commentariis obnoxiæ fidei nonnumquam aſperſerit, nec ideò accuſare hiſtorici ſcriptoris diligentia talia etiam ne quid omiſſiſſe videretur enarrantis, nec candor ingenuus debuit, cùm hæc ſemper ex aliorum relatione addidiſſe ſe nos monitos voluerit, horum etenim fidem abundè eleuare ſic viſus eſt, quûm conſtanti ac ſolidâ fide præfixerit hanc voculam φασὶ aiunt, vel ἱϛορεῖται, vel λέγεται. Tu verô qui plana omnia & expoſita eſſe vis, ne quidem intelligis, in quo primæ illæ ſimplicium corporum vires fundatæ ſunt, *Neque reddi poteſt ratio*, inquit Scaliger, *cur calori frigus aduerſetur, ſic ne in illis quidem cur ea quæ principia in ſe habent effectiua motus moueant, quæ quietis faciant quieſcere. Nemini comperta ſunt in igne caloris principia, ita in Echineide quæ ſint principia quietis.* Vide denique quàm nullo titulo, vt de rerum naturâ occultas & latentes proprietates qualitateſque eximas, Tullij verba in rem tuam abducis; apud quem inter Velleium Balbum & Cottam de Deorum religione & ſacris ſermo excitatus erat, multis hinc & inde recitatis, ita habet Velleius; *Habes Balbe quid Cotta, Quid Pontifex ſentiat, à te enim Philoſopho rationem accipere debeo religionis, majoribus autem noſtris etiam nullâ ratione redditâ credere.* Ac tandem Cotta concludit. *Vide quæſo, ſi omnis motus omniaque, quæ certis temporibus ordinem ſuum conſeruant, diuina ducimus, ne tertianas quidem febres & quartanas diuinas eſſe dicendum ſit, quarum reuerſione & motu quid poteſt eſſe conſtantius? ſed omnium talium rerum ratio reddenda eſt, quod vos cum facere non poteſtis, tanquam in aram confugiſtis ad Deum,* Hæc juſta communis mortalium inſcitiæ confeſſio & criminatio, BERTINE, à quâ nec te ſtoico ſupercilio ſubduxeris, commodiùs equidem rebus tuis conſuluiſſes ſi Terentianum Demeam fores ſecutus.

Lib. 1. cap. 11.
Cap. 22. 109. 122. 132.
Cap. 119. & alibi paſſim.

Exerc. 218. art. 8.

3. de natura deorum.

Nunquam ita quiſquam benè ſubductâ ratione ad
vitam fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, vt illa, quæ te ſcire credas,
neſcias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies?

Ita ad obuia quæque fallente veſtigio offendis, etiam in aperto patentique rerum naturæ campo, teque fugiunt, quæ velut infœlix alter Phineus, putas tenere.

ARTICVLVS VI.

Euidens cùm ſit purgationis causa, quæ tota pendet à prædominante medicamenti acrimoniâ ſucci Cyrenaici vim purgatricem, ſi quæ fuerit, aliundè repetendam non fuiſſe, quàm ab iiſdem calefaciendi, attenuandi, permeandi, & incidendi viribus, quibus acrimoniæ ratio continetur.

BIS, quod aiunt, ad eumdem, in eoſdem nempe ſcopulos naufragus iterum impingis BERTINE, teque erroris æſtu reciproco rectæ menti ereptum immenſa illa naturæ operum vorago verticoſo gurgite eodem præcipitem, moxque ludibrio futurum agit & reuocat. En de re graui admodum, quæque Doctiorum hucuſque vexauit & exercuit ingenia, tu leuis armaturæ ac planè ferentarius dictatorio more vt properè nimis, ſic temerè multùm decernis, & pro re judicatâ ſtatuis, de quâ etiamnum non liquet, cauſam purgationis euidentem prædicas, vt potè ab acrimoniâ medicamenti natam. Cui quidem Pag. 39.
educendi familiaris ſibi ſucci vim concedi vis ex Hippocrate totiuſque ſubſtantiæ proprietatem vocari à

Pag. 40. Galeno, illam tamen abstrusam & implicatam (sic te ad quæstionem abripit genius veritatis) catharticorum agendi rationem stare nihilominùs in temperamento & conuenienti secundarum qualitatum misscella jubes. Vno verbo perfrictâ fronte transfuga abire in partes Erasti & Puteani non erubescis, qui Galeni vestigiis lubentiùs insistere te ac studiosiùs

Pag. 38. vix dum professus eras, quodque proprietati substantiæ adimis, vni purgantis erethismo vis addicendum, id, vt impetres, ita diuidis. *Vel enim hæc proprie-*

Pag. 40. *tas ipsa rei natura est & substantia, vel ea ex totâ substantiâ atque formâ, quod vult Fernelius, primùm ac per se proficiscitur ac effluit, vel sane pro medicamenti temperamento sumenda venit.* Quoad primum cum rerum, inquis, essentia substantiaque perennis sit & immutabilis, hoc constituto, sequeretur eâdem vi semper nec ignauius validiusve fore vsquam catharticum, cùm tamen illud incitetur vel coerceatur pro arbitratu medentis. Idem de proprietate emanante è formâ & essentiâ purgantis remedij tuum est judicium. *Supe-*

Pag. 41. *rest itaque (sicuti concludis) vt hæc totius substantiæ vis purgatrix & proprietas sit ipsa priuata medicamenti temperies, quæ præsertim pro sua prædominanti qualitate purgationem lacceßitâ naturâ promoueat.* Hæc articulatim & distinctè excutiamus sequioris huius tuæ Philosophiæ peccata. Absurda in-primis & superuacanea prorsùs venit isthæc tua diuisio, cùm vim illam purgatricem medicamenti esse proprietatem quæ à totâ substantiâ fluat, cùm Galeno ipsi contendamus, non verò esse ipsam substantiam; quanquam si sint ejusmodi rerum essentiæ ac substantiæ æternæ ac immutabiles, quid indè tibi accedet commodi Bertine, vim illam nempe sic nobis non fore in integro pro arbitrio temperare, vel vrgere aut morari. Ita sinistro ac stupido ad philosophandum genio na-

tus es, qui rerum eſſentias vno opere æſtimes, quo cum illas miſces & confundis, nec actum primum (qui rebus omnibus etiam caducis æternus eſt, & planè immutabilis, illarum quippe ſubſtantia & forma) à ſecundo, vt par erat, diuidis, cujus alia atque alia ratio & vis vaga multùm intendique ac remitti apta, tuo vtar exemplo, modo ne ſic à me de vi purgantium præjudicatum putes. Ignis eſſentia æterna eſt ac immutabilis, at vrendi opus non item, acriùs quippe modò, modò ignauiùs illud ſe ſe exerit & explicat; ſimili ratione purgantium, quorum referri ad aliud natura eſt, eſſentia quidem immutabilis exiſtit ac æterna, ſecundum quam veluti in ſolidam terram conlocato lapide ſuus alimento medicamentoque deſcriptus poſituſque eſt terminus, quatenus in actu primo ſpectatur illa vt in lycæo obtinet; at in actu ſecundo, qui mehercle eſſentiæ nihil niſi inter Megaricos ſapit, obnoxiæ omninò eſt conditionis, vt potè quæ tempori ac variè mutabili legi laborantis penitùs addicta ſeruiat. Idem mihi deinceps meliori prorſum jure de proprietatibus, quæ à formis rerum manant, venit dicendum, quanquam enim illarum ideò ſequantur ſortem, ſitque rerum omnium quæ naturâ conſtant dos hæc immortalis, vt vſu & authoritate nulla etiam inter caduca poſita valeat perire; etſi eo nomine potiri vindiciarum non ſit copia, cujus causâ vide quàm injuſtæ auctionis prouincia te oneres, qui ea, quæ ſunt ipſius formarum fundi bona, ſic emancipes, vt alteri nempe temperamento adſcribas. Æquè ſiquidem doctis omnibus ineptus videbere, ſi hinniendi virtutem in equo, latrandi in cane, rudendi aſino, ac cholagogis bilis purgandæ, melanogogis ſucci melancholici, puta Rhabarbari & Ellebori temperamento feras acceptam; quanquam his & illis certa temperiei ratio &

commenſus, vſus atque operis modum quemdam ſtatuat ac interponat, ita vt nec par & idem latratus ſit ſingulis canibus, aut vis purgandi his illiſve ejuſdem gentis ſtirpibus: tuæ vis me accommodem ruditati, paucis dicam, cùm vna ſit vniuſcujuſque rei eſſentialis forma, accidens quoque quod naturali & neceſſariâ conſecutione ex eſſentialibus principiis rei, cui ineſt, ſingulare quoddam ac vnum fluat & manet, oportet, in quo velut omnibus numeris abſolutâ ſpecie ac exemplari, vis ſingularis formæ expreſſa ſenſibus patet, ac ſe ſe luculentiùs explicat: quòd cùm omnibus rerum formis communi quodam jure conſtitutum ſit (ita nempè formæ hominis in dotem iſtam venit ridendi facultas, in oue balandi) neque juſtâ hâc proprietatum ſuppellectile ipſa etiam, quæ vitâ & ſenſu carent, mixta corpora meritò deſtitui videantur, ſed ad omnium ſtuporem æternâ fide repræſentet priuata & ſua cuique virtus in magnete & ſuccino; hocce rerum naturæ fundo ſtirpes exuere velle injuſtum nimis & à ratione alienum. Enimuerò quid dicas audio BERTINE, qui rerum proprietates alias ab ἰδιοσυγκρασίᾳ non tenes. *Et reuerà,*
Pag. 41. inquis, *ſi quæ ſit apud Galenum totius ſubſtantiæ proprietas, eam in peculiare quoddam & ſingulare mixti temperamentum reuocandam eſſe, ex ipſius verbis obſeruare licet, quod quidem ad juſtitiam vnicuique pro ſua naturâ & indole conceſſum, ex certo primarum, tum ſecundarum qualitatum gradu, ſeu craſi, nec non præſtitutâ quâdam ſubſtantiarum elementarium proportione, ſeu ſubſtantiæ modo, edendis poſthac ſingulis tum alterantium, tum purgantium remediorum operibus, ſub formæ, quæ prima functionum radix eſt, præſidio comparatum exurgit.* Neque verò in eo me habiturus es repugnantem, eſſentia enim, vt cuique rei ſua, ſic & opus & operandi modus, cujus eſt illa principium, cuique ſuus.

Essentia omnis, inquit Albertus magnus, *propriam & essentialem habet operationem, quà nunquam destituitur.* Vltrò etiam tecum agnoscimus quamdam in singulis temperamenti proprietatem, certumque & singularem cuique primarum qualitatum modum, ἰδίαν φύσιν appellauit Theophrastus; κρᾶσίν τινα καὶ μῖξιν ἰδίαν admisit quoque Galenus, qui partium essentiam in earumdem temperie collocauit: neq; aliud eo, quem laudasti, loco significatum voluit, quàm quod priuata quædam & propria natura stirpibus quidem ab elementis, vero animalibus à stirpibus accedat. *Ex hac igitur inæqualitate*, inquit, *primorum scilicet miscibilium* (hoc est elementorum) *singulares temperamenti corporum proprietates perfectæ sunt, ex elementis quidem ipsis plantarum, ex his vero animalium, vt in sermone de elementis demonstratum est.* Verum quoniam ea est his omnibus, quæ natura constant, circumscripta lex, vt vltra speciem suam nihil agant, singularisque ille in singulis primarum qualitatum modus, earumdem vires operamque ideò non superet; alterius planè conditionis videntur ea quæ proprietatis totius substantiæ merito fiunt: atque idcirco hæc ab illis distinxit Galenus, *quoniam alia quidem totis substantiis inuicem agunt & patiuntur, alia secundum vnam aut duas qualitates*; at verò illa quæ sic agunt solâ experientiâ internosci ac deprehendi docuit, in quorum classe venena, alexipharmaca & purgantia medicamenta collocauit, cumulatè id reuicit his verbis. *Ostensum est enim libris de medicamentis nonnulla quidem totis substantiis inuicem contraria, quædam vero solis qualitatibus, ostensum vero est, & quod in illis contrariis secundum qualitatem inueniendis, via quædam est, in iis autem quæ secundum substantiam, minimè; sed quod experientiâ cuncta inueniantur.* Vnde etiam Plotinus vim eiusmodi ἄλογον καὶ ἀσυνήθη iure optimo nuncupauit, quod nullo vsu faciat scientiam; neque enim per rationes

in 2. de anim. tract. 1. c. 1.

1. de hist. plant. cap. 22.

1. de vsu partium, c. 9.
ὑπάρχουσι δὲ πρῶτον καὶ μάλιστα αἱ κράσεις αὗται γὰρ τὴν ἰδίαν οὐσίαν συμπληροῦσι τῶν μορίων.

Lib. 4. de aliment. facultatibus, cap. 15.
ἐξ οὖν τῆς τοιαύτης ἀνισότητος αἱ τῶν κατὰ μέρος σωμάτων ἰδιότητες ἀπετελέσθησαν, ἐκ μὲν τῶν στοιχείων αὐτῶν αἱ τῶν φυτῶν ἐκ τούτων δ' αἱ τῶν ζώων ὡς ἐν τοῖς περὶ στοιχείων δέδεικται λόγοις.

1. de simplic. medicam. facultat. cap. 3.
ὅτι τὰ μὲν ὅλαις ταῖς οὐσίαις εἰς ἄλληλα δρᾷ καὶ πάσχει, τὰ δὲ κατὰ μίαν ἢ δύο ποιότητας.

Lib. 6. cap. de Abrotono.

Lib. 13. meth. cap. 6.
ἐδείχθη γὰρ ἐν τοῖς περὶ φαρμάκων ἔνια μὲν ὅλαις ταῖς οὐσίαις ἀλλήλοις ἐναντία. τινὰ δὲ ταῖς ποιότησι μόναις. ἐδείχθη δὲ καὶ ὡς ἐπὶ μὲν τῶν ἐναντίων κατὰ ποιότητα μέθοδός τις ἐστιν, ἐπὶ δὲ τῶν κατὰ τὴν οὐσίαν οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἐκ πείρας εὕρηται πάντα.

Ennead. 4. lib. 4. c. 37.

Differ. 60.

à qualitatibus elementorum repetitas poteſt inueſtigari, vti ſcribit Conciliator, quoniam cum eiuſmodi qualitatibus, nec in genere, nec in ſpecie conuenire videatur, nam cum in vno alterandi negotio tota vis primarum eiuſmodi qualitatum ſit collocata, quid operi quæſo conferre valet ſingularis ille in ſingulis temperamenti modus, quem ἰδιοσυγκρασίαν dicimus? quod vni & priuatæ cuidam alterationis vi in ſolidum acceptum referri non debeat, quæ inter contraria exercita à proportione maioris inæqualitatis tota pendet, adeò vt illa conſummata & perfecta dominæ qualitatis vis tandem ſuperet ac ſe probet, niſi ambiguo exitu inter illas ſit depugnatum, fractiſque mutuò debilitatiſque viribus, velut æquis conditionibus pactis induciis, compreſſa veriùs & in apertum eruptura tandem, quàm compoſita diuortia ignauo otio, vel certè obſcuriore diſſidio ac negotio tepuerint; quocunque verò illa ſors ceciderit huic alius à te nemo vim ridendi homini propriam, hinniendi equo, venenis, alexiterijs, purgantibus ſingularem aſcripſerit; ſuus quippe cuique temperiei modus venit, communis nihilo ſeciùs omnibus eiuſdem gentis illa. Sint inſuper huius glebæ & fundi illæ vires certo temperamenti modo addictæ, eiuſdem conditionibus ſic à te aſtringi illas oportet, vt eo labefactato vel corrupto protinus violari ac perire neceſſe ſit. Vnde quæſo Elaterio, Veratro dabitur & ſtabit purgandi vis integra & æterna tot exercita artis & naturæ vicibus. *Mulier, Capra, Eletarium aut Cucumerem Syluestrem, ſi comederint, pueris purgatio*, ait Hippocrates. Quod Hippocratis effatum εἴς τε χρείαν ἰατρικὴν καὶ δόγμα φυσικὸν laudauit in comm. Galenus, & ad controuerſi argumenti ἐπίκρισιν non parum conferre iudicauit: huius verbis te etiam meritorio ſtylo præfractiorem expugnare pergam. *Quidam*

6. epid. ſect. 5. art. 35.
Γυνὴ αἲξ ἐλατήριον ἢ σικύον ἄγριον βεβρωκυῖαι παιδίοις κάθαρσις.
Τινὲς δ' ἡγοῦνται μηδεμίαν δύναμιν ἔχειν τῶν ἐν ταῖς τροφαῖς ἐξ ἀρχῆς οὐσιῶν μετὰ δ' πεφθῦναι καὶ αἱματωθῦναι, τινὲς δὲ διαμένειν ἄχρι πολλοῦ τὰς

vero arbitrantur, inquit, *nullam vim esse earum quæ à principio sunt in alimentis substantiarum postquam coctæ sunt & in sanguinem versæ: alij vero perseuerare ad multum vsque tempus eximias virtutes, ita vt sudores ipsas redoleant, quod ex eo, quod nunc dicitur, probatur. Videtur enim in his comestis seruari virtus, sed & apud nos vere vbi scammonij germina capræ esitauerint purgatorium ipsis fit lac: ac si tithymalum attigerint idem contingit. Verum etiam circa Doridem, Bœotiam & Thessaliam & quæcunque vicina ipsi sunt loca, distensionibus musculorum detinentur multi, qui Coturnices edunt, quoniam Elleboro hæ victitant idem quoque & Athenis nonnullis accidisse noui qui largiùs Coturnices edissent.* An toties vexatis Vulcaniâ arte quibuslibet purgantibus integrum, vt virium, sic proprij temperamenti modum in cineribus retinueris? An Stibium idolum istud tuum quum tanto studio dedolandum satagis, & velut alterum Peliam recoquendum jubes, nihil mutari putas, quum ex ficulneo præsidio in panaceam exornas & explicas? paremne, dic sodes, luculentis ignibus benè multum vstulato percocto & cinefacto, ac crudo proprij huius temperamenti statues modum, quem ab incendio nullâ singularis naturæ iniuriâ, veluti Palladium subduxeris? Ecquid de rogo & cineribus denuò suscitatur minùs tuto conditum Antimonij Diaphoretici secus ignaui maleficium & venenum, si sub dio moram fecerit, aut plusculum conditum seruaueris? Ita nempe *quàcunque paratum arte sumptum intra corpus cordis angustias, cardialgias, lipothymias, vomitusque & similia praua symptomata procreat*, vt testantur Augustani. His te vinculis haud te commodè expedias BERTINE, ni sectam ejures, & Anaxagoræ ludo te maturè dedas, meras prorsùs ὁμοιομερείας ipsa naturæ rerum mixta reputaturus; nihil proindè propriè alterari & corrumpi, oriri denuò aut perire profitearis: veluti ex

ἰσχυρὰς δυνάμεις, ὥστε καὶ τοὺς ἱδρῶτας αὐτῶν ὄζειν, ὅπερ ἐκ τοῦ νῦν εἰρημένου μαρτυρεῖται. φαίνεται γὰρ ἐπὶ τῶν τοιούτων φυλαττομένη ἐδηδεσμένων δύναμις, ἀλλὰ καὶ παρ' ἡμῖν κατὰ τὸ ἔαρ ὅταν τῆς σκαμμωνίας τὰ βλαστήματα φάγωσιν εἶγες καθαρτικὸν αὐταῖς γίνεται τὸ γάλα. κἂν τιθυμάλλου δὲ προσενέγκωνται ταὐτὸ συμβαίνει. καὶ μέντοι καὶ περὶ τὴν Δωρίδα καὶ Βοιωτίαν καὶ Θετταλίαν ὅσα τῇ αὐτῇ γειτνιᾷ χωρία, τάσεσι τῶν μυῶν ἑάλωσαν, πολλοὶ οἱ φαγόντες ὄρτυγας ἐπειδὴ τὸν ἐλλέβορον ἐσθίουσιν οὗτοι. ταὐτὸ δὲ τοῦτο καὶ κατὰ τὰς ἀθήνας οἶδα τισὶ συμβὰν ὀρτύγων δαψιλέστερον ἐδηδοκόσι.

In Mantissa Hermetica.

1. de Diœta.

ἀπόλλυται μὲν οὐδὲν ἁπάντων χρημάτων οὐδὲ γίνεται ὅτι μὴ πρόσθεν ἦν ξυμμισγόμενα δὲ καὶ διακρινόμενα ἀλλοιοῦται , νομίζεται δὲ παρὰ τῶν ἀνθρώπων τὸ μὲν ἐξ ᾅδου ἐς φῶς αὐξηθὲν γένεσθαι, τὸ δ' ἐκ τοῦ φάεος εἰς ᾅδην μειωθὲν ἀπολέσθαι.

illius dogmate consignatum apud Hippocratem comperies. *Perit quidem nihil rerum omnium*, inquit, *neque fit quod priùs non erat*; *verum commista & secreta alterantur*; *reputatur vero ab hominibus quod ex orco in lucem augetur*, *fieri*; *quod verò ex luce in orcum minuitur*, *perire.* Ita illi cuncta φοιτᾷ καὶ μεταχινεῖται. Tibi verò in lacte & Coturnicum carnibus repræsentabitur Elaterium, Scammonium, Elleborus. Accedit insuper, si in temperamenti modo starent ejusmodi rerum proprietates, eiusdemque ordinis & naturæ cum primis elementorum, ex quibus vis resultare, qualitatibus, qualitatis accessione aut decessione congermanescerent, augeri illas aut minui vel corrumpi esset operæ pretium. Nihil tamen ad ferri illicium calidus an gelidus sit magnes interest, vti neque ad propagationem lucis æstuosus frigidusve aër fuerit, licet in caliginoso & nubilo laboret illa, sudo & puro illustriùs splendeat. Addam tertiò aliter planè exeri vires primorum corporum ab iis quæ proprietate totius substantiæ patrantur. Illæ enim contactu vel interiecto corpore per moras calefaciunt, refrigerant, humectant, siccant propagatione alteratiuæ qualitatis; at per solidissima quæque nullius receptæ sensibilis qualitatis conscia non modò, verum illi in se retinendæ omnino inepta ferrum magnes momento prolicit vel agit. Quid plura, nonnisi præuiâ alteratione vis elementarium qualitatum prima cuipiam corpori accedit, eâdem otiosâ vel absente minuitur sensim & perit tota, cum tamen leuissimo affrictu communicato beneficio, etiam detrita tenuissimâ quâ attigit cuspide, duraturo ferrum sibi habet & seruat. Idem planè in nostris purgantibus per me licet experiaris, quæ morarum nonnihil, admissa ventriculo vbi egerint, vomitu demùm integrè reddita impresso nihilominus ventriculi tunicis priuatæ virtutis charactere familiares sibi humores vi

naturæ mox deturbandos prolectant & attrahunt. Fatere tandem cum Tullio BERTINE, te in his causis reddendis inane laborantem, non parum hallucinatum fuisse, quæ rationi nusquam patuere vsu se produnt. *Quæ est igitur*, inquit, *ista calliditas res vetustate robustas calumniando velle peruertere? non reperio causam, latet fortasse obscuritate inuoluta naturæ. Non enim me Deus ista scire, sed his tantummodò vti voluit, vtar igitur nec abducar.* Quæ insuper nostram in rem superius scripserat etiam atque etiam attende. *Mirari licet quæ sint animaduersa à Medicis herbarum genera, quæ radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos ad vulnera quorum vim atque naturam ratio nunquam explicauit, vtilitate & ars est & inuentor probatus.* Neque Erasti defugiam authoritatem, cui vltrò nomen dedisti, loquentem ausculta. *Compluribus jam sæculis, ne omnibus dicam*, inquit, *perpauci extiterunt homines docti qui esse negarent, quod si reperti sint qui effectuum omnium, quos ab occulta vi proficisci dicimus, causas in apparentibus ac notis elementorum qualitatibus inuenire tentarunt, nil aliud consecuti sunt, quàm quod ab omnibus veritatis studiosis & rerum naturalium scientibus merito derisi sint.* Verumtamen ne me infensiorem Stibio, quam veritati amiciorem deinceps calumnieris BERTINE, ecce cæterà nil mutatus tecum accedo Erasti sententiæ, quem perfunctoriè legisse eos, qui pro te scripsere, hôc ipsô actutùm ex me recipies. Nouerat acri castigatoque judicio vir ille egregius, cum pro sagaciore genio in rerum naturalium causas penitiùs inquireret, alias certæ cuidam nec vlli, quanquam sensibus obuiæ, primorum corporum misturæ temperationique assignandas, alias altiùs reconditas alterius originis videri; idque vt faceret palam ex primis rerum naturalium principiis & elementis doctâ equidem & industriâ hâc vsus epagoge sic processit. Actionum in rebus naturalibus

Lib. 1. de diuinatione.

Disput. de propr. med. c. 4.

Cap. 12.

principia ſunt ipſæ primùm formæ rerum , inde habitus , poſtea potentiæ , inde naturales appellatæ, demum qualites primæ & quas παθητικὰς nominauit Ariſtoteles , ſub his ſtemperamenta contineri nemo neſcit. Iam verò habitus actionis potiùs quemdam modum conciliat , quàm illam ſimpliciter excitet , atque in rebus animatis ſolùm locum habet, proindeque ad medicamentorum naturam nil ſpectat. Qualitates primæ & paſſiuæ notæ tantùm & apertæ virtutis ſunt cauſæ ; quare reſtat, vt vel in forma rerum, vel in temperamento , vel in vtriſque cæcæ ejuſmodi facultates poſitæ ſint. Ex quibus duo ille occultarum proprietatum capita diſtinxit ſapienter ; vnum ſcilicet quod formam, alterum quod temperiem conſequeretur; neque verò ejuſmodi proprietates ejuſdem dignitatis & ſortis vult eſſe , ſed videri nonnullas ipſi formæ ſuperſtites, vt in purgantibus ; alias cum forma perire vt in magnete & ſuccino ; alias indiuiduas planè quæ vni ſpeciei omni & ſoli ſemperque inſint; alias ideò ſeparabiles , quòd naturis quibuſdam modô conueniant, titulo ἰδιοσυγκρασίας , in eorum ideò quæ rebus accidunt claſſem referendas, & proprii temperamenti ἔγγονα ; cùm aliæ ſint formarum ſubſtantialium δυνάμεις ac veluti quædam propago & tradux exercendæ exerendæque virtutis : vt autem vtriuſque hujus proprietatis quæ manat à forma aut temperamenti modo naturam propiùs aſſequeretur ac doceret, hæc inter vtramque diuortia conſtituit. Primò quod prior quoad actum primum non ſit à forma ſeparabilis, licet quoad ſecundum ſeparari queat aut corrumpi ; poſterior verò quoad actum vtrumque valeat ſeparari & deleri formâ ſuperſtite & incolumi ; quia ſcilicet vt ſubſiſtat , certô dumtaxat illi opus eſt temperamenti modô ſiue gradu , quo ſine , formam poteſt retinere , cujus ea eſt amplitudo , vt quam-

vis formæ continendæ adhuc congruat, eô tamen gradu careat, qui priuatæ ſingulariſque actionis cauſa eſt & principium, ita Ranunculi genus quoddam dulce eſt, Abſinthij etiam inſipidum & inodorum. Secundò quod vires quæ ſubſtantiam conſtituunt nullô exteriore adminiculo egeant ad actus ſecundos eliciendos, vbi objectis ſuis commodè occurrunt; ita magnes nullius alterius ope adhibitâ ferrum ad ſe allicit, ſtirps alimentum. At quæ temperamenti proprietatem conſequuntur, licet aliàs è ſinu formæ venerint, vt vices ſuas exerant alienâ ope habent opus, ſic ad vires purgantium promouendas natiui caloris opera deſideratur. Tertiò quod proprietates quæ è temperamenti modo fluunt, ſubjectum cui hærent atque inſident diſſipari quodam modo & corrumpi poſtulent, quò ceu materiæ vinculis liberæ & ſolutæ efficaciùs ac præſentiùs ſe ſe exerant; ſecus verò earum causâ eueniat, quæ priuatæ formæ vinculis nexæ ſunt & addictæ, quarum vis integra propriô ſubjectô corpore integrô perſeuerat, eôdem reſoluto fugit ac diſſipatur. Verumtamen hôc locô nimia genij ſui alioqui indulgenda in tam difficili argumento fiduciâ viſus Eraſtus peccaſſe, tot contra interpellantibus rerum naturæ euentis; quanquam enim illius ſententiæ faueat vis magnetis in integro melior & conſtantior, fugax ac debilior in fragmentis ramentiſque; ſecùs Stibium hoc vno ſaltem omnibus ſe probat, quod crudum & planè ἄτεχνες gentili glebâ ignauum, penè auſim dicere innocens, ex eoque veneni quis abſoluerit, ſolutum in cineres, ſpargit vndique venena, nullaque non ſui parte vitæ laribus ex eo accedit infeſtius; etſi adeo negotioſum & durum cuique eſt periculo nominis in naturæ arcana curioſiùs animaduertere; vitrum Antimonij nullo etiam, quod imperiti mirentur, ſolidioris ſubſtantiæ intertrimento, longè

multò parato ex se puluere nocentiorem eum quem imbuerit liquorem reddere sit solitum. Quid plura vim impetumque mentis & rationis in hæc conantis sufflaminat, angit, nouumque parat subinde laborem virtutum ejusmodi adeò varia indoles & natura; ecce enim affricto ferro pertinacior etiam per obuias injurias fideliorque vis magnetis insidet, quàm ipsi solido magneti quæ tempore languet & minuitur, ni munias & foueas. Quamobrem cum ex his Erastus duo occultarum proprietatum genera constituisset, substantiale vnum, quod substantiam constituat, sitque formæ veluti pars & potentia; alterum materiale seu accidentarium, quod materiæ conditionem, quæ propriè substantia non dicitur, & qualitatem siue temperamenti & mixtionis modum consequatur, epilogum tandem scripturus Magnetici lapidis causâ animi pendens aliterque persuasus hæc addidit ac conclusit. *Non pugnabo cum eo qui plures ponere species volet, haud enim ignoro nonnulla inueniri quæ neutri speciei aptari posse videantur, in quorum numero præcipuum mihi locum habere magnes semper visus est.* Immò ampliùs in vtraque definienda occultæ proprietatis specie is ipse hæsitauit, vbi de ea diuisim pronuntiauit, substantialem nempe illam proprietatem nihil aliud esse, *quàm vel ipsammet formam substantialem jussu Dei composito concinnè præparato inhærentem, itáque agentem vt causa reddi actionis omnino nequeat, vel certè potentiam siue virtutem quandam formæ per quam illiusmodi agit patiturque.* Materialis verò ab eo statuitur qualitas quædam temperamenti ac materiæ ferè proprietatem consequens. Porrò licet isthæc occultarum proprietatum in materiatas & formales diuisio Guillelmo etiam Bigotio accepta fuerit, quem maximum philosophum appellauit Scaliger, materiatas tamen etiam ad formam pertinere fatendum est; licet enim exempli

Cap. 20.

Cap. 13.

Prælud. Christ. lib. 1. cap. 29.

Exercit. 307. art. 15.

exempli gratiâ latrabile materiæ gremio cohæreat, illudque formæ è potentia materiæ erumpentis intertrimentum retineat, materiatam illam nihilominus iniquiùs dixeris, cum de ſinu caninæ formæ prodeat; quanquam quæ materiata dicitur magis ſit in aperto & quaſi ſuperficie mixtorum expoſita; formalis verò ſepoſita in receſſu ac formæ adytis. Eodem planè iure ac ratione ſimili formale dici debere fatendum eſt illud cæcarum proprietatum genus, quod in materiæ conditione & temperamenti modo collocatum eſt & conſtitutum, quamvis de materiâ prodeat & in eâ conditum ſit. Forma quippe eſt, vt idem Bigotius ait, quæ particularum elementarium in mixto conuentum vnit, vniendoque confirmat & ſtabilit, & cum ipſis pariter cæteras qualitates ex mixtione vel aliundè natas, quibus vti commodè nequeat, niſi determinarit, ac cum ſubjecta ſibi materia ſimul finxerit; accidentia ſiquidem naturæ cognatione materiæ affinia corruptâ materiâ corrumpi ſolent, neque ſine forma queunt perſeuerare, quæ materiam primò, ipſa verò accidentia ſecundariò ſtabilit ac confirmat, quanquam hæc nonniſi mediantibus qualitatibus alijſque inſtrumentis agat quum materiæ conjuncta eſt. His te docere & Andabatam defraudare volui Bertine, excerptis ex clariſſimi Præceptoris prælectionibus nempe ex libro ejuſdem ſecundo de facultatibus plantarum, ſectione prima cap. primo, cum crudus adeò inter operarios iacere videaris nec dum eruditum puluerem fortiorum pedibus calcatum attigiſſe: qui magna iſthæc naturæ myſteria illotis adeò manibus tractas & in mediâ qualitatum ſenſibilium luce ponere ac reuelare prophanus ambis *abſtruſam & implicatam*, vti agnoſcis, *Catharticorum agendi rationem.* Ecquid porrò in aſſerendâ nemini controuersâ temperamenti proprietate pluribus laboras Bertine? omnium

Libro 2. cap. 9.

Pag. 40.

operum in viuente formam, principium, temperamentum πρῶτον δεκτικὸν agnoſcimus, quibus etiam modum importat ſingularem priuatus cuique ac ſingularis primorum miſcibilium λόγος, qui proprietatem temperamenti facit ac circumſcribit. At quod nulla præter hanc ſit totius ſubſtantiæ proprietas, hoc te implicas, dum rem totam ſic te putas confeciſſe. *Totius ſubſtantiæ proprietas ea eſt*, inquis, *ex qua emanat immediatè actio, vel per quam immediatè editur actio, ſed hæc, Galeno teſte, ex temperamenti proprietate, hoc eſt, propriâ mixti temperie ſoboleſcit, ſiquidem tota ſemper particula agit ſecundum temperamenti, quod ei frequentiùs ineſt, proprietatem, euidentis itaque temperamenti proprietas eadem eſt, quæ totius ſubſtantiæ.* Siniſtrè profectò talia infers BERTINE, ac inconditè omnium naturæ operum ignota tibi miſces principia. Agant licet ex proprietate inſiti temperamenti, ſibique allaborent cuncta viuentia, an proinde eorum operum quæ vel hæc in alia exercent, vel quæ vitâ deſtituta moliuntur in vnam temperiem, iure ideò reuocaueris? An quia certo quodam & priuato modo calidus magnes ferrum vnus prolicit, in hoc certè vno profitendo totus videris eſſe, qui agendi vires his limitibus vis coerceri, vniuſque dati nominis fiduciâ, qua *fortiorum claſſi* additum, neque nobis inuitis, venditas, grauem alioqui vel vltimi Medicinæ Candidatorum elenchum ſtoico planè ſupercilio nil moraris, cui tamen de ipſo boue lora ſumere expeditum foret. Ita nempe is in doctorem, mox, vt ſors litterarum nunc ſequior tulit, futurum Profeſſorem, verbis tuis inſurgeret, ipſiſque te authore vſus faceret ſenſibus controuerſiam, ac oſtenderet nullam vim magneticam affricto ferro poſſe conciliari. Proprietas ejuſdem virtutis ab ejuſdem proprietate temperamenti pendet, ſed in ferro & magnete non poteſt ſtare eadem tem-

Pag. 42.

Gal. 5. de locis affectis, cap. 7.

peramenti proprietas, ergo nec ejusdem proprietas virtutis. Non elemento debet Iaspis quod admotus ventriculum juuet, hoc beneficij singulari formæ in dotem accessit. Quid de eo profiteatur Galenus, accipe.

9. de simpl. medic. facult. Ι᾿διότητα δέ τινες ἐνίοις λίθοις μαρτυροῦσι τοιαύτην οἵαν ὄντως ἔχει καὶ ὁ χλωρὸς ἴασπις ὠφελῶν τόν τε στόμαχον καὶ τὸ τῆς γαστρὸς στόμα περιαπτόμενον, ἐντιθέασιν τε καὶ δακτυλίῳ αὐτὸν ἔνιοι καὶ γλύφουσιν ἐν αὐτῷ τὸν τὰς ἀκτῖνας ἔχοντα δράκοντα, καθάπερ καὶ ὁ βασιλεὺς νεχεψὼς ἔγραψεν ἐν τῇ τεσσαρακονδεκάτῃ βίβλῳ, τούτου μὲν οὖν τοῦ λίθου κἀγὼ πεῖραν ἱκανὴν ἔχω καὶ ὁρμάθιον γέ τι ποιήσας ἐκ λιθιδίων τοιούτων ἐξῆπτον τοῦ τραχήλου σύμμετρον οὕτως, ὡς ψαύειν τοὺς λίθους τοῦ στόματος τῆς γαστρὸς, ἐφαίνοντο δὲ μηδὲν ἧττον ὠφελοῦντες ἢ εἰ τὴν γλυφὴν οὐκ ἔχοιεν ἣν ὁ νεχεψὼς ἔγραψε.

Proprietatem verò quidam quibusdam lapidibus testantur esse talem, qualem reuera habet viridis Iaspis, qui prodest stomacho ori ventriculi appensus, inserunt etiam ipsum annulo quidam & insculpunt in ipso draconem radios habentem, veluti rex Nechepso scripsit libro quadragesimo quarto, atque huius quidem lapidis sufficiens ipse testimonium habeo. Torquem enim ex ejusmodi lapillis confeci, & appendi collo adeo commensuratè vt lapilli contingerent os ventriculi, videbantur autem nihilominus prodesse, etiam si scalpturam non haberent, quam Nechepso descripsit. Porrò quàm stolidè ineptus quasi aduersarius tibi deesset, quôcum pedem conferres, opertum Diatribæ authorem tibi fingis, in quem ictum destines, nonnullius scilicet mox ipse inter nos futurus es nominis, quem palam docere doctorem ille iam sit veritus, qui discipulum lustro ab hoc altero habuerat, nec bonis auibus scholæ datum. Et tu audes illi solitudinem exprobrare, ea tibi luscitioso cæcitas, qui victitas lolio tam vili tritico, vt non aduerteris quàm malè fuerit animo vnius ex tuis suffragatoribus frequens ille auditorum numerus, qui cum ex tempore publicè docere aduersus alienam à recta medendi lege placitisque veterum per initia pleuritidis purgandi doctrinam, nescio quo malo inclinantis artis genio publicatam, vno retinendæ veteris doctrinæ & scholæ dignitatis studio apud se recepisset, quod ex voto consumpto biennio absoluit.

Differt. medic. de pleurit. pag. 6.

Profitetur alius, inquiebat ille, *docere palam atque publicè magnâ ipsum comitante caterua, fuisse quæstionem illam placitis Hippocratis & Galeni & cæterorum in arte medica illustrium virorum minimè consentaneam.* Sed quid ad te impudentissime Ca-

uillator? demus vt animo tuo facias pauciores illi auditores fuisse, sibi ac musis cecinerit ille, cuius doctissimæ prælectiones, si quando typis in vulgus ituræ, quod eruditorum omnium votis enixioribus spes est illum tandem aliquando concessurum, ignauis meliorumque fastidiosis discipulis solitudinis huius, tibi verò Professori subuentaneo calumniosæ scriptionis injicient pudorem: captandi sibi demerendique plures non alias artes ille in hanc nostram Scholam omnium studiis quæsitus, & si nostros fastos consulas, sæpè rogatus professor intulit, quàm vt Principis Scholæ munerisque authoritatem dignitatemque retineret docendo, nonnisi docenda prælegeret, enarraret dicenda. Quibus solidæ eruditionis inexhaustum fundum præsentario munere publici iuris faceret, quem erat etiam humaniorum litterarum vbertate & copiâ singulari studio exornaturus, sic ille doctiorum ora tum jure visus mereri. Quumque obscuritatis insimulas, ruditatis vltimæque imperitiæ simul te reum palam omnibus facis & exhibes damnandum; tibine obscurus eo nomine venit ille, ex cujus ore & scriptis adeò disertè proprietatum occultarum naturam ostendi ac liquidò patefeci, quem tamen malignè & inscitè prorsùs, vt sic traduceres Erasistrato, & Archigeni ex Galeni judicio ita vis accedere, *ne tandem ipse sub Galeni æquissimum judicium cum Archigene vel Erasistrato cadat, quos sententiarum obscuritate propè nihil docere pronuntiat; nempe eorum, qui nihil docent, duplex est institutum; quidam ad proprietates, quæ exprimi nequeunt, confugiunt, alij proferunt quidem nomina, tamen nec quæ significant obseruant, nec quam illi significationem attribuant, interpretantur.* Ita in alienam prorsùs à Galeno mentem hunc cum Vallesio & Puteano Galeni locum transfers & traducis BERTINE, ibi enim tale Archigenis iis in commentariis, quos de febribus scripserat, vitium arguit fuisse,

Pag. 42.

eique ſimul obnoxium Eraſiſtratum, vt nihil ipſorum vterque doceret; tum quia obſcuriùs de re apertâ & liquidâ ſcriberent, cum etiam quod ad eam operam inſolenti dictione vterentur. Et ſanè vtrumque in libris, quos de pulſibus ediderat Archigenes, reprehendit Galenus, ac φιλοερισίας morbo dixit illum teneri. 4. de diff. pulſ. cap. 1.
Ipſe quin etiam totus eſt, vt noua illa differentiarum pulſuum & nominum portenta ab eoque gratis ficta, vti 4. de dign. pulſ. cap. 2.
vocat, Sphingis Ænigmata cenſoriâ virgulâ denotet, ideoque illum vt incommodum in dolorum propriis differentiis appellandis nomenclatorem reprehendit eo nomine Galenus; illam igitur ἄῤῥητον ἰδιότητα deinceps alibi ne requiras quàm in Archigenis commentariis, in quibus inexplicabiles pulſuum ac dolorum differentias & nomenclaturas propoſuerat, de quibus ita locutus ille, *proinde admiror ipſorum* (hoc eſt dolorum) *proprietates, quum lego quas ſcripſit Archigenes, tanquam enim ipſe omnes ſuſtinuiſſet, enarrat, etiam ſi non multùm morboſus foret:* & poſtea. *Videtur itaque nationibus quibuſdam proprijs potiùs logicis, quàm eorum qui paſſi fuerint periculo, fidem dediſſe Archigenes, qui exponebant vti volebant differentias dolorum.* Quantùm vero ad Eraſiſtratum attinet, eô quòd datâ operâ obſcurè ſcriberet, à Galeno reprehenſus ille, ſcilicet quia ſic ſtudebat videri aliquid dicere cum nihil diceret. At iſta quid ad Diatribam BERTINE? cuius obſcuritatem accuſare non potes, quin tuam quoque inſcitiam prodas doctioribus, hancque etiam atque etiam in aſſerenda purgandi ratione ac virtute purgantium rudiorum oculis obiicias. *Purgat enim medicamentum,* Pag. 42.
inquis, *quoniam acre, hoc eſt, calorem in mixtione prædominantem ſortitum eſt cum tenuitate partium, quod ſanè* Pag. 43.
patet omnibus, ſed quo caloris gradu euectum tenuitatique modo affectum fuerit, quod quidem proprium eſt in re, verbis explicari non poteſt. Perperam hæc vltima verba ex

2. de locis affect. cap. 6.

2. de locis affect. cap. 7. Διὸ καὶ θαυμάζω τὰς ἰδιότητας αὐτῶν ἀναγινώσκων ὅσας ἔγραψεν ἀρχιγένης, ὡς γὰρ αὐτὸς ἅπαντα πεπονθὼς διηγεῖται, καί τοι γε οὐ πάνυ τι νοσώδης γενόμενος.

ἔοικεν οὖν ἐπινοίαις τισὶν ἰδίαις μᾶλλον λογικαῖς ἢ τῇ πείρᾳ τῶν πεπονθότων ὁ ἀρχιγένης πιστεῦσαι διηγουμένων ὡς ἠδύναντο τὰς διαφορὰς τῶν ἀλγημάτων.

Lib. 5. de locis affect. c. 3. χάριν τοῦ δόξαι τι λέγειν καί τοι λέγων μηδέν.

1. ad Glauconem, c. 1. Galeno in rem tuam adducis, quæ protulit ipſe vt doceret quod verum eſt, nihil eorum, quæ vniquique ægrotanti propria ſunt, poſſe deſcribi. Verùm etiam vt hæc ad purgantia referas per me licet, neque proprias in purgando eorum vires verbis poſſe explicari, de his namque priùs eſt vt dicas, quàm in definiendò illorum modo ſiue deſcribendâ quantitate virtutis te conficias, nec in quæſtione & controuerſiâ hâc tibi primùm eſt, vt in principia inquiras, cur magnes ille hôc efficacior, idemque hâc quam illâ parte? cur Rheo potentiùs in purgando videatur Scammonium? ſed cur vtrumque purget? intelligo
Pag. 43. tandem quid velis. *Catharticum quodvis acre naturâ ſentiri non tantum, ſed etiam hujus qualitatis efficaciâ facultatem ad excretionem ſic excitari.* Siquidem vt deinceps proſequeris, ſe toto ingratum cum ſit atque inſuave medicamentum viſceribus vbi receptum eſt, fremit primùm moueturque difficili non aſſueta hoſpiti natura & explicata ope natiui caloris acrimonia medicamenti, quæ ſilebat illatam ventriculo moleſtiam longiùs ob tenuitatem partium explicat & porrigit
Pag. 44. in vaſorum oſcula, vnde laceſſita vis partium expultrix redundantis inſenſique humoris ſarcina ſe liberat, vel ſponte ac conſecutione quâdam, vel altiùs ſubeunte vi medicamenti ſtrenuâ reſeratis meatibus, ipſo ampliùs tenuato & calore allecto ac per vias publicas deturbato; inde prona ad hypercatharſim via auctâ qualitatis feritate, quæ contumax ab irritando non intermittat fractis inde naturæ viribus & reſolutô robore retentricis potentiæ. Ex quibus col-
Pag. 45. ligis tandem *atque ſi ejuſmodi fuerit hypercatharſeως causa* ἐρετισμὸς (vapulabis inter pueros ni τ in θ maturè mutaueris) *ab acri qualitate medicamenti eamdem nec diſſimilem fore purgationis originem, ſed imminutam ac mediocritate virtutis definitam æquum videbitur, tum quia hypercatharſis apud*

Hippocratem audit ex communi interpretum mente vt purgatio; sed immodica, auctis scilicet nimio plus ac velut intensis extremè irritantis medicamenti qualitatibus. Quibus profectò tantùm ab ipsius rei veritate, quantùm à Galeni atque adeò ipsiusmet Hippocratis, qui ἀληθὴς λόγος habitus à Socrate, mente & normâ abduceris, vnoque erethismo integrum opus medicamenti purgantis temerè ac imperitè prorsùs coerces; quanquam enim alienâ nonnunquam eâque sensibili qualitate purgans medicamentum irritet, naturæque creet molestiam, totâ aberras lineâ, si vim eam quâ humores alienos prolectando purgare dicitur, eretismo arroges, qui nihil ad opus, quod huic cum illis intercedit, videtur spectare, eam in rem purgantia ἀπὸ τῶν ἐρεθισμῶν contradistinxisse Hippocratem necesse est vt docearis, cùm nescias. Cauit ille, ne * *quæ judicantur vel judicata sunt integrè moueamus aut renouemus; siue medicamentis siue aliis irritamentis, sed sinamus.* Quamobrem signum κενεαγγικὸν & ἐρεθιστικὸν diuisit, vbi sorbitionibus ante vtendum negat quàm morbus percoctus fuerit, [a] *& aliud quid signum apparuerit vel vacuatorium per intestina, vel irritatorium.* Quale verò illud sit, exposuit in commentario Galenus. [b] *Communi vero nomine erethismi comprehendit omnia, quæ quocunque modò ad imbecillitatem vires deducunt, inter quæ morsus est ab acribus humoribus siue in intestinis, siue in ventre fiat, & maximè circa os eius, & vigilia, ira, dolor, & quidam helmenthes, lumbrici scilicet, qui ad ventrem ascendunt, aut pruritus cutis vniuersæ, aut quarumdam partium ad noctem perseuerans, ita vt non solùm irritet, sed cum vigiliis vires dissoluat.* Atque in historia Sileni eâ voce significauit, acria enemata, quæ vi quâdam & cum molestiâ excrementa deturbarent, [c] *è ventre exiguo irritatorio excrementa tenuia & veluti cruda multa egessit cum labore.* Eodem sensu vsurpauit Aretæus, vbi consuluit glan-

Plato in Phœdro.

Aphorism. 20. lib. 1.

* Τὰ κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως μὴ κινεῖν μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακίῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσι χρῆσθαι, ἀλλ' ἐᾶν.

Lib. 2. de vict. in acut. art. 48.

a ἢ ἄλλό τι σημεῖον φανῇ ἢ κατὰ ἔντερον κενεαγγικὸν, ἢ ἐρεθιστικόν.

Galenus.

b Κοινῷ δὲ ὀνόματι τοῦ ἐρεθισμοῦ περιέλαβε πάντα τὰ καθ' ὁντινοῦν τρόπον εἰς ἀῤῥωστίαν ἄγοντα τὴν δύναμιν, ἐν οἷς ἐστι καὶ ἡ δῆξις ὑπὸ δριμέων χυμῶν ἤτοι κατ' ἔντερον, ἢ κατὰ γαστέρα γενομένη, καὶ μάλιστ' αὐτῆς κατὰ τὸ στόμα, καὶ ἀγρυπνία, καὶ ὀργὴ, καὶ λύπη, καί τινες ἕλμινθες ἐκ τῶν ἐντέρων ἀναβᾶσαι πρὸς τὴν γαστέρα καὶ κνῆσις τοῦ δέρματος ἅπαντος, ἢ καὶ μορίων τινῶν ἐπιτεθεμένη διὰ νυκτὸς, ὡς μὴ μόνον αὐτῷ τὸ ἐρεθίζειν, ἀλλὰ καὶ σὺν ἀγρυπνίᾳ καταλύσαι τὴν δύναμιν.

c 1. epi 1. sect 3 ἀπὸ δὲ κοιλίας ἐρεθισμῷ σμικρῷ κόπρανα λεπτὰ οἷα ἄπεπτα πολλὰ διίει μετὰ πόνου.

Aretæus, lib. 1. de curat. acut. cap. 1.

ξυνεχέως δὲ τὴν κοιλίην ἐρεθίζειν βαλάνοισι ἢ διαχέῃσι.

dibus vt phreneticos continuò irritemus. In coacis etiam circa fauces Erethiſmi obſeruantur. Vide vt te fugit Erethiſmi cum natura vſus, BERTINE, rem & nomen non intelligis, ſi natura, vti ſecundum Hippocratem loqueris, ἀπαίδευτος τὰ δεόντα ποιέει, quid, vt vulgò fertur, calcar addis currenti, *quæ noxium humorem mouet primùm*; mouere nonniſi rerum domina ſolet. Vix enim ipſa, quæ ἐξαρκέει πάντα πᾶσι, vt eodem authore tibi accedam, quicquam rerum ægri ſatagere ſollicitum nimis artificem ſuſtinet, vbi exlegem fugitiuumque humorem antiquâ fide deditum, gentilique nexum imperiô denuò receperit, adeò vt nec tibi per ſupremum artis noſtræ Legiſlatorem fas ſit quicquam tum mouere, quùm criticæ motioni vacat. Quid amabo promoueris, ſi adurgeas lentè at ſecurè feſtinantem? Quid aſſiduam operi nec defuturam prenſas ſollicitiùs, iniquiùs inconſideratiuſque laceſſis? tuarum partium eſſe neſcis hancque vnam Medicinam videri, aduersâ mente reluctari non conſentire morbo? At verò tanto imparem naturam negotio commodè agitare te dixeris, artiſque proinde operam tum deſiderari, quæ morſu purgantium illam ad opus ſuſcitet & erigat, calore verò tanquam illiciô ad euacuationem ampliùs promoueat. Si calore & acrimoniâ vires circumſcribis purgantium, ecquid dictis ambiguis & callidâ cunctatione, quaſi nec dum tibi liqueret, remque iterum ampliari percuperes, de vi purgatrice ſucci Cyrenaici, quam vtroque nomine te judice deberet obtinere luculentam, hæſitando pronuntias, *iiſdem ex cauſis liquoris Cyrenaici calidi quidem & acris vim, ſi quæ fuerit, purgatricem omnis facile colliget.* Ita quoque ante ſcripſeras, *laudatam, ſi quæ fuerit, illius vim catharticam proximè comitentur & excipiant*: ac primùm, *ſucci Cyrenaici vim, ſi quæ fuerit, purgatricem aliundè repetendam non fuiſſe, quam ab iiſdem calefaciendi,*

Articulo 264. Κατὰ φάρυγγα ἐρεθισμοί.

Pag. 43.

Lib. de aliment.

6. epid. ſect. 5. art. 7. ἴνησις ἀντίνοον μὴ ὁμονοεῖν τῷ πάθει.

Pagina 45.

Pagina 29.

Pagina 4.

calefaciendi &c. ſed mox memor eorum quæ ſcripſeras, te cum Renaudoto eadem ſentire paratum, eâdem paginâ paucis poſt lineis hæſitare erubeſcis ac fidenter aſſeris, *Silphium non fuiſſe adhibitum niſi vt virtutis in eo catharticæ beneficio juuari poſſent.* Et paucis poſt, Silphium aridum vis eſitaſſe veteres, quia *germinatione & fructificatione exactis, potentiſſimus in planta humor, ſuique iuris præſertim factus promouendæ purgationi longè aptiſſimus eſt.* Expone tu, qui rerum omnium cauſas reuelare profiteris, cur vt tuo Silphio, cui purgandi vim cum vno Renaudoto affingis, ſic in cæteris quoque perinde acribus & calidis medicamentis illam non datur experiri? Cur pone aures admotô è cantharidibus phœnigmô totum in vnam veſicam maleficium redit, cruentumque lotium non ſputum inde, non hæmorrhagia, hæmorrhoides, dyſenteria ſanguiniſve vomitus ſuccedat? Hanc neſcit profectò priuatim deſtinatæ virtutis iniuriam vis prima primorum corporum, neque ſaluis rebus hinc conuaſaturus es, ſi dixeris, certum quemdam ac priuatum ejuſmodi ſenſibilium qualitatum modum, nullo licet reuelandum ſenſu, id ſibi priuati iuris obtinere; ſic enim augeri modo minuiue agendi vim & efficaciam par erat, vel ſeriùs, ocyùs, ignauiùs, potentiùs ſe ſe exerere; at diuerſæ naturæ pabula vni igni cedere videmus, admotaque cuti epiſpaſtica ac metaſyncritica medicamenta obuios quoſcunque humores ad ſe pertrahere. Quòd cum aduerteret Galenus, duplicem ejuſmodi attrahentium claſſem merito conſtituit, nempe calore, vel totius ſubſtantiæ proprietate: atque id cumulatè demonſtrauit, quum aduerſus Epicuri dogma de potentiâ attractice diſputat. *Et hoc inſuper dictis adjiciemus*, inquit, *quod non ſolum purgantia medicamenta apta nata ſunt attrahere proprias qualitates, ſed etiam & quæ infixa ſpicula educunt & ſagittarum cuſpi-*

Pagina 18.

Pag. 29.

Lib. 5. de ſimpl. medicam. facult. cap. 18.
ἤτοι θερμότητι τὴν ὁλκὴν ποιουμένων ἢ τῇ τῆς ὅλης οὐσίας θερμότητι.

1. de natur. facult. c. 14.
ἔτι καὶ τοῦτο προσθήσομεν τοῖς εἰρημένοις, ὡς οὐ μόνον τὰ καθαίροντα φάρμακα πέφυκεν ἐπισπᾶσθαι τὰς οἰκείας ποιότητας, ἀλλὰ καὶ τὰ τοὺς σκόλοπας ἀνά-

des in profundam carnem nonnunquam adactas, atque etiam quæcunque venena vel telis illita extrahunt, & ipsa eamdem cum Herculeo lapide vim ostendunt. Ego certè noui aliquando impactum pedi juuenis spiculum nobis digitis validè trahentibus non cessisse; medicamentò verò impositò sine molestia citò excidisse: quanquam huic quidam contradicunt & contendunt, quod, vbi imflammatio partis extincta fuerit, sponte spicula cedant nullà alià re trahente, verùm videntur isti primùm ignorare, quòd alia sunt inflammationis medicamenta, alia quæ impacta pertrahunt, licet, si quæcunque inflammationem soluunt, illà sedatà educunt ea quæ sunt præter naturam, hæc protinus fuerint illorum attrahentia. Secundò vero, & quod ampliùs quis mirabitur, quod non solùm alia quidem spicula, alia venena trahant, sed quòd inter ea, quæ venenorum sunt attrahentia, alia viperæ venenum, alia Pastinacæ marinæ, alia alterius cujusdam trahunt, ac manifestò videre sit ejusmodi medicamentis adhærentia venena. Nolim tamen me inficiari putes BERTINE, calore vim trahentium purgantium & medicamentorum ejusmodi non parum promoueri; sed quod delectu trahunt, hoc, illi quod injuriâ arrogas, pernego. Neque enim trahunt solùm humores medicamenta purgantia, sed hos illosve, quodque medicamentum purgans familiarem sibi humorem educat, id ex Hippocrate nouisse[a] scribis, scripto ejurasse pobas. Quando igitur sic te fugit, BERTINE, negotium purgationis, nec quid in ea sit purgantibus operæ prætij, quas sibi partes habeat natura, quas vicissim ars ministra vendicet, quid dandum Erethismo, quæ ejus opportunitas, peruides? professorio Scholarum primario munere dignum alioqui primæ classis doctorem, [b] juuenis ipse nondum benè ex Ephebis excedens, nouellus & qualiscunque doctor ex communis Præceptoris ore hæc in Scholis enarrantis (nec dum enim ipsi eram à com-

γοντα καὶ τὰ τὰς τῶν βελῶν ἀκίδας εἰς πολὺ βάθος σαρκὸς ἐμπεπαρμένας ἐνίοτε, καὶ ὅσα τοὺς ἰοὺς ἢ τοὺς ἐμπεφαρμαγμένους βέλεσιν ἀνέλκει, καὶ ταῦτα τὴν αὐτὴν ταῖς ἡρακλείαις λίθοις ἐπιδείκνυται δύναμιν. ἐγὼ γ᾽ οὖν οἶδα ποτὲ καταπεπαρμένον ἐν ποδὶ νεανίσκου σκόλοπα τοῖς μὲν δακτύλοις ἕλκουσιν ἡμῖν βιαίως οὐκ ἀκολουθήσαντα, φαρμάκου δ᾽ ἐπιτεθέντος ἀλύπως τε καὶ διὰ ταχέων ἀνελθόντα. καί τοι καὶ πρὸς τοῦτό τινες ἀντιλέγουσι φάσκοντες ὅταν ἡ φλεγμονὴ λυθῇ τοῦ μέρους, αὐτομάτως ἐξιέναι τὸν σκόλοπα πρὸς οὐδενὸς ἀνελκόμενον ἄλλου, ἀλλ᾽ οὗτοι γε πρῶτον μὲν ἀγνοεῖν ἐοίκασιν, ὡς ἄλλα μέν ἐστι φλεγμονῆς, ἄλλα δὲ τῶν οὕτω καταπεπαρμένων ἑλκτικὰ φάρμακα, καίτοι γ᾽ εἴπερ ἀφλεγμάντων γενομένων, ἐξεκρίνετο τὰ παρὰ φύσιν ὅσα φλεγμονῆς ἐστὶ λυτικά, ταῦτ᾽ εὐθὺς ἂν ἦν κἀκείνων ἑλκτικά, δεύτερον δέ καὶ ὃ μᾶλλον ἄν τις θαυμάσειεν ὡς οὐ μόνον ἄλλα μὲν τοὺς σκόλοπας, ἄλλα δὲ τοὺς ἰοὺς ἕλκει, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν τῶν τοὺς ἰοὺς ἑλκόντων, τὰ μὲν τὸν τῆς ἐχίδνης, τὰ δὲ τὸν τῆς τρυγόνος, τὰ δ᾽ ἄλλου τινὸς ἐπισπᾶται, καὶ σαφῶς ἐστὶ τοῖς φαρμάκοις ἐπικειμένους ἰδεῖν αὐτούς.

a Pag. 39.
Lib. de natura humana.
Τὸ γὰρ φάρμακον ὁκόταν ἐσέλθῃ ἐς τὸ σῶμα πρῶτον μὲν ἄγει ὃ ἂν αὐτέῳ κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων.

b Pag. 14.

mentarijs) docere compendiô non grauabor. Artificis ejuſque legitimæ purgationis opus in naturæ exemplo poſitum neceſſe in primis vt intelligas, iuſtæ ſiquidem ejus vacuationis conſilia & modum tenere ac ſequi omnium hujus operum peritum ac diligentem obſeruatorem imitatoremque medicum decet, quam critico conatu & ſtudio molitur, quum alienos humores per aluum expurgat. Quemadmodum enim illa, quæ res ſuas frugaliter & ſobriè accurare ſolet, priùs & antiquiùs nihil habet, quàm vt eos, qui in vitio & querelâ ſunt humores, ab vtilibus & profuturis ſecernat componatque ad exitum, *primus quippe*, vt ajebat Galenus, *is naturæ labor ſeparantis ab vtilibus noxia & ad excretionem præparantis.* Quod adhibitâ adminiſtrarum potentiarum operâ perficit & complet illa retinendo, hæc partìm deturbando ab eâ quam per morbi vim occuparunt ſtatione, partìm opportunè & commodè deducendo in conſentanea & dedita expurgationi loca. Ita planè lege & arte agentem medicum prima hæc occupare vota & ſtudia debent, vt agat delectum humorum expurgandorum, cujus quidem præcipui muneris, vel ipſa ratio nominis hunc maturè admonet; καθαίρω namque conflatur ex præpoſitione κατὰ & verbo αἱρῶ ἢ διαχωρίζω, eadem vis quoque latini nominis; purgare ſcilicet nihil aliud, quàm purum agere, ſiue purum ab impuro ſecernere. Ex quibus quantum vel in ipſo limine à recto aberres, quilibet artis candidatus & tyro facilè perſpexerit, quum inconſultò Erethiſmo totus cum tribulibus Stibiatris vacas, ſicque alienos cum vtilibus humores præter naturæ legem artiſque præcepta continuò & promiſcuè paras educere; neque enim noxia quælibet protinùs expurgare illa ſatagit aut nos iubet. Legem paucis à ſummo artis dictatore accipe, *meatus recludendi ſunt, quibus opus eſt, & vt opus*

Commentario ad aph. 13. lib. 2.
Τῆς φύσεως διακρινούσης ἀπὸ τῶν χρηστῶν τὰ μοχθηρὰ καὶ παρασκευαζούσης πρὸς τὴν ἔκκρισιν.

6. epid. ſect. 2. art. 25.
Τὰς ἐφόδους ἀνεστομῶσθαι οἷον ῥῖνας καὶ τὰς ἄλλας ὧν δεῖ, καὶ ὡς δεῖ, καὶ οἷα, καὶ ὅπῃ, καὶ ὅτε, καὶ ὅσον δεῖ.

eſt, *&* *qualia*, *quà*, *quando*, *quantùm educenda.* Quibus modum inſtituendæ vacuationis definiuit, hoc eſt, ſpeciem vacuationis & vacuantium, qualitatem eorum quæ vacuari debent, partem per quam vacuatio molienda, tempeſtiuitatem vacuationis idoneam, juſtam denique excernendorum quantitatem; atque is, vt criticæ, ſic artificioſæ vacuationis limes deſcriptus eſt, à quo nequiter & peruerſè, neque vno nomine excidis, quum totum purgationis negotium vni Erethiſmo non committis modò, verum inſuper ſolâ vacuationis quantitate hanc à ſuperpurgatione etiam ex Hippocratis ſententiâ, graphicus impoſtor diuidis, cum tamen principiô & modô vtraque ſejuncta ſit; illam ſcilicet natura temperat & regit, hanc naturâ ſuperior vis morbi ac ſymptomatum, vel certè purgantium ſuſcitat & adurget; illa proinde excretricis potentiæ addita legibus eſt, & circumſcripta obſequiô; hæc neſcit legem, quum ad interregnum venere res laborantis, naturæ ac purgantium vires in ſolidam injuriam conuertit. Sic vt χολερικὸν τρόπον illius opes ac vitæ fundum omnem, projectâ, præcipiti, effrænatâ ideòque omnigenâ vacuatione planè exhauſtum dilapidet, verbo dixerim reddat, ὑπέρινον. In illa ſingularis delectus & modus conſtat excernendorum, in hac planè nullus.

Pellitur è medio natura, ac vi geritur res,
Non ex jure manum conſertum, ſed mage fato
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolidâ vi.

Nec certamen eſt quod cernitur, ſed internecinæ ſeditionis æſtuſque incompoſiti in aperto ſtudia flagrant, vnô verbô vacuatio eſt, non purgatio. Vt igitur vtilem operam laboranti naturæ locemus, & ad criticæ purgationis normam ejus, quam artificio ſollicitamus promouemuſque, negotium componatur, velut illa totô vndique corpore diſſipatos palatoſque &

à viis publicis longè ſepoſitos ſuis in ſtatiuis peregrinos humores non antè ad excretionem agit, quàm conuenire illos juſſerit, curaueritque in communem quemdam locum deportari, vndè illa, quæ *facilitate potiùs, quam vi* res ſuas geri redimique amat & ſuſtinet, è corpore eliminare commodiùs queat; id autem in promptu erit cedetque expeditiùs, ſi dum illa à ſe excutere abalienatos conditioniſque ſequioris humores infeſtos ſatagit, omnique opere ſuis vſa viribus adnititur, obuiæ amicæque purgantium medicamentorum qualitatis meditato commercio, tanquam illiciô præſentiſſimô, adhibitis auxiliaribus copiis è ſuis inſimul latibulis ſic benè docti ὁμορρωθεῖν ipſi deuocemus, ita cum naturâ nos conuotos ſors morbi melior beat, trudente illâ, his verò eidem operi tractim allaborantibus, in quo vno ſtat integra prouincia purgantium. Exinde ſiquidem ægra illa naturam vexat ſingulari hôcce artificiô cumulati collectique inimici humoris patientia, ac mole & vitio, quo Erethiſmi vis tum opportuna & commoda ſe prodit, ad excretionem prouocat; ſic mutuis ars & natura collatis operis quicquid ad vitam injuriæ eſt propulſant. Erras igitur, qui purgantis medicamenti familiaritate & cæcâ quâdam naturæ conſenſione prolici ducique non æſtimas morbi conſcium humorem, ſed cum eo ſimul naturam irritari, & ad vtriuſque vacuationem impelli. Mirari equidem ſubit perbonæ frugi hominem, qui, *ſubciſiuâ, quæ ab aliqua in inuiſendis ægris meditatione & curâ incurrunt, tempora nolis perire*, adeò perfunctoriè res valetudinis & capitis tractaſſe, vt ſingularem illum in purgantibus attractricis potentiæ modum, vel vſu ipſô, quinetiam Hippocrate præunte, non agnoueris. Is enim quæſitô etiam in fidem è ſtirpibus documentô familiarem à medicamento trahi humorem docuerat; *medicamentum enim*, inquit, *quum corpus ſub-*

Hippocr. lib. de Arte. ῥαςώνῃ μᾶλλον ἢ βίῃ.

Pag. 5.

Libro primo de natura humana. τὸ γὰρ φάρμακον ὁκόταν εἰσέλθῃ ἐς τὸ σῶμα πρῶτον μὲν ἄγει ὃ ἂν αὐτέῳ κατὰ φύσιν

μάλιστα ἢ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων, ἔπειτα δὲ καὶ τὰ ἄλλα ἕλκει τε καὶ καθαίρει ὥσπερ τὰ φυόμενά τε καὶ σπειρόμενα, ὁκόταν ἐς τὴν γῆν ἔλθῃ, ἕλκει ἕκαστον τὸ κατὰ φύσιν ἑωυτοῦ ἐνεὸν ἐν τῇ γῇ. Τοιοῦτον δέ τι καὶ τὰ φάρμακα ποιέει ἐν τῷ σώματι, ὁκόσα γὰρ τὴν χολὴν ἄγει, πρῶτων μὲν ἀκρητεστάτην ἐκάθηρε τὴν χολήν ἔπειτα δὲ μεμιγμένην.

ierit, primùm quidem educit quod ipsi secundum naturam maximè fuerit ex iis, qui in corpore insunt, deinde verò alia trahit & expurgat, veluti quæ oriuntur seruntur que, vbi terræ mandata fuerint, vnumquodque trahit secundùm naturam suam quod terræ inest. Et postea idem euenire purgantibus docet. *Tale verò quid medicamenta præstant in corpore; quæcunque enim bilem educunt, primùm quidem sinceram maximè purgant bilem, deinde verò permixtam,* quæ tamen vltima verba, frustra es, si ad eleuandam trahendi proprietatem adhibeas, quid nempe miri est, cum sincera vix vlla sint si mista egerantur. Dicas tandem præsente τοῦ ὁμορυσμοῦ beneficio simul vti obuios istos alterius gentis & naturæ humores, nec trahi, sed sequi. Apage ergo tuum illum Erethismum, quem in principem purgationis causam profers; Apage acrem & insuauem qualitatem purgantium, quæ naturam hôc titulô ad sui humorisque alieni expurgationem prouocet, cum nec quæcunque irritant, illaque alienâ qualitate faciunt & creant aliquid molestiæ, purgationem moliantur; quæque efficaciora & cum delectu purgant medicamenta, etiam ex vltimis ac porrò sepositis corporis partibus, vix aliquid alieni sensibus ipsis exhibeant, vel laboris, dum trahendo incumbunt, inferant; quin imò nescijs sæpè ipsis laborantibus totum purgationis negotium absoluatur, aliàs quomodo illustrem illam fœminam obortô circa malleolum Herpete Romæ decumbentem propi-
14. meth. cap. 17. natô serô lactis clanculùm Scammoniô medicatô, latere potuisset Galeni dolus, atque inuitam purgare. Expromant tibi de pera, si his fidem non adhibes, & explicent suos illos puluisculos Ciniflones, BERTINE, suos de phiala liquores exhibeant, quibus delicatissimo ægrorum fastidio sic faciunt & indulgent, vt miminimâ mole, quam vix oculis tuis emissitijs adeò perspicacibus vsurpes, vel aspersa jusculis potionive

guttula, insuaui purgantium qualitate omnino deposita, vires illorum nihilominus sic incendunt, quum repræsentant, vt potionatos, non purgatos ægros ipse vocatus diceres, eadem enim illos ac venenarios maleficos ars tenet, tam industriô mangoniô adornant famosissima sua secreta, aut potius venena, vt peritissimum quemque fallere possint, si Dioscoridem audias. Cæterùm plura de purgandi ratione & viribus purgantium exquisitis adeo rationibus & authoritatum momentis, fundatæ optimi Præceptoris sententiæ, ex ejus scriptis, quæ mihi subinde descripsi, potuissem addere, quando inter cæsa & porrecta, vt ajunt, id mihi in redarguendo prouinciæ impositum voluisti; nisi paucula hæc abundè forent eruditis lectoribus, te vero qui in mediâ rerum luce cæcutis, dum planè lynceus vis videri, ad quæstionem super his ampliùs abripere instituti mei ratio non postulet; sed eccum portum.

Præfat. in Alexiph. Τοὺς λάθρα διδόντας οὕτω μηχανᾶσθαι ὡς καὶ τοὺς ἐμπειροτάτους ἐξαπατᾶν.

ARTICVLVS VII.

Succum Cyrenaicum, quo vsus est Galenus, verum fuisse & legitimum, non spurium, non secundarium. Pag. 46.

TANDEM ergo BERTINE, multa supra Clepsydram ineptè cornicatus de tribus capellis dicturum te accingis, quique dudum à lineis, etiam adhibito non vno rectore, veluti Cantherius in porta excideras, omissis nugis, vt rem mecum experiaris, in procinctu nunc ades. At me Hercle dolo malo personatus, nec positâ ambigui nominis laruâ, quâ vasis saluis famam doctoris, moxque Professoris futuri ex hoc inscitiæ freto eriperes, subdolâ tibique gentili vernilitate mali illius genij partes indolemque secu-

tus, non vt antè mutus hæres, ſed auribus annulatis blæſus linguâ, ſic ad veritatis conſtantibus vbique veterum monimentis edita oracula obſurdeſcis, vt amens prorſus adhuc eos ſine mente ſonos reputes plagia parerga, iniquam conjecturam, quæcunque juſtis & idoneis illorum teſtimonijs ſuâque ſtant mole: rudiorum auribus vt facturus aucupium, conſcio ſatis profugi pudoris perfrictæque frontis ſilentio, veteratoriè declines; quò enim Galeni ſuccum Cyrenaicum alium ab illo Theophraſti & Dioſcoridis oſtendas me perperam ſcripſiſſe, te verò eumdem ſpecie & origine apud hos illoſque ſcriptores validis aſſecutum rationum authoritatumque ponderibus nimis inſolenter, ſi doctiorum ſtandum judicio, glorieris. Primùm eſt hoc quô niteris, *vtriuſque enim laſeris ſeu ſucci Theophaſtei inquam & Galenici virium æqualitas effectuumque conuenientium parilitas illud abundè ſuadet.* O egregium prorſus & ſeuerum rerum naturæ cenſorem! ô dignum, cui Epimetheus cedat, ſingularum virium cognitorem! ô fidelem & accuratum diribitorem! qui communione operum naturæ gentilitatem aſſerat & vendicet! quis amabo tibi etiam Iouem lapidem juranti credat, ſi æſtiuis ſolibus percoctum Æthiopem, ardente peruſta Syrio cerealia quum videris, ſolem illicô cum Xenophane nubem ignitam, cum Anaxagora, Democrito, Metrodoro ignitam maſſam profitearis; naturæ ſcilicet iniurium τῶν αὐ[illegible]βαλλομένων nomen indicemque è medicamentaria officina expunges ac delebis, atque in poſterum Origanum erit Abrotonum, Abrotonum Abſinthium, Aſarum Acorus, Daucus Aniſum, Aſphodelus Beta, Cicuta Coriandrum, Viticis ſemen Cnicus, Saluia Dictamnum, Chamæpytis Eupatorium, Thymum Hyſſopus, Sampſuchus Ladanum, Rubia Lepidium, Dorycnium Mandragora, Eruca Polium, Pſyllium

Pag. 80.
Pag. 46. pag. 55.
Pag. 47.
Plutarch. 2. de placit. Philoſoph. cap. 20.

Psyllium Lens palustris, Centaurium Rheum, Bulbus esculentus Scylla, Lactuca Semperuiuum, Nasturtum Sinapi, Ocymum Sisymbrium, Chamædris Sthœcas, Nasturtium Thapsia, Vitex Vrtica, Zingiber Pyrethrum, vtque τὰ ἀνὰ χεῖρα καὶ διὰ στόματος expediam, succus Syriacus succus Cyrenaicus, Chelidonium majus Silphium, vtrumque enim ὀξυδερκίας ποιητικὸν authore Dioscoride. Quot inde turbarum inter Selapsiarios & materiæ medicæ Professores istâ tuâ tam indoctâ rusticitate moueris BERTINE, Galenum ausculta sic loquentem. *Ego vero non dubito, neque ipse fidem detraho dicentibus in omnibus ferme rebus multas & diuersas contineri virtutes.* Eadem quoque ratione concedendum quibusdam etiam virtutibus illa conuenire quæ communis materiæ cognatione conjuncta sunt, atque ex iisdem constituta elementis: quam sinistrè ergo nulloque titulo colligis ex descriptarum passim apud Galenum Silphij virium & vsus similitudine, vnum & idem Theophrasto ac Dioscoridi extitisse, *ex quibus colligere est*, inquis, *tum laser veterum, tum verò succum Cyrenaicum Galeni* (eò te adegit præcipitis & inconsulti erroris impetus, vt Silphij stirpem cum ejusdem succo conferas) *cum viribus effectis raritate & pretio inuicem conspirent, eadem inter se videri, specieque certè non minùs quàm origine conuenire, vt idem vnumque fuerint.* Galeni authoritatem te ejus ore reuincendi causâ proposueram, quâ ipse ejusdem anni Euphorbium succo Cyrenaico dixerat impensiùs calefacere, *præsertim eò quò nunc vtimur, ex quo per aquæ irrigationem incrementa stirpium promouent & ad copiam succi præparant.* His ita putas satisfactum, *non enim adeò duas ex his differentias habes*, inquis, *quàm argumentum notamque tantillùm remissæ apud eum virtutis iuxta Theophrasti effatum, qui quidem per irrigationem cultus natura impatiens* φύλλον ὑδαρές τε καὶ μανὸν καὶ ἀσθενὲς *fieri testatur* (attende obiter

Lib. 2. cap. 211. & lib. 3. cap. 94.

Lib. 2. de simpl. medic. facult. cap. 13.
ἐγὼ δ᾽ οὐκ ἀμφισβητῶ μὲν οὐδ᾽ αὐτὸς οὐδ᾽ ἀπιστῶ τοῖς φάσκουσιν ἐν ἅπασι σχεδὸν τοῖς οὖσι πολλὰς καὶ διαφερούσας περιέχεσθαι δυνάμεις.

Lib. 3. de compos. medic. per gener. cap. 4.

Diatrib. pag. 30.
Καὶ μάλιστα τοῦ νῦν ἐξ ὅτου δι᾽ ὕδατος ἀρδεύσεως αὔξάνουσι τε τὰ φυτὰ καὶ πρὸς πλῆθος ὀποῦ γενέσεως παρασκευάζουσι.

quam græcâ fide græca parùm ſincerè deſcribas, non enim φυτὸν habet Theophraſtus ſed δένδρον, illi nempe ſermo erat non de Laſere ſed de Corno arbore, quam cultu fieri dixerat deteriorem) *laſerque ipſum non æque vehemens, quia humidiori copioſiorique alimento veſcatur, at vero magis & minùs non mutant ſpeciem.* Quid aliud amabo ſonant hæc Galeni verba, BERTINE? quàm nimiâ cultus diligentiâ ſecundario illi Silphio, quô tunc temporis vtebantur, vires ignauiores extitiſſe, quæ priùs neglectô eodem erant potentiores; ita ſanè neglecta olera viribus efficaciora ſapidioraque præ iis experimur, quæ multô fimô adobruit, & largiore irrigatione præfocat ac extinguit auarior hortulanorum vnaque pro vectigali ſedulitas. Aduertat interim æquus lector quàm peruerſô rerum tuarum ſtudiô Theophraſti corruperis fidem, mentemque aliò abduxeris: loquitur enim eô loci Theophraſtus de Silphio illo hortenſi & ſecundario, quod curam non reſpuebat, idque facilè eſt oſtendere, imprimis enim hôc librô profitetur ſe ſcripturum de iis plantis, quæ coli ſuſtinent, hæc ſunt ejus verba initio huius capitis. *Quæ circa plantas eſt conſideratio, duas habet diſceptationes & in duobus conſiſtit; vnam quidem in ſponte naſcentibus ſitam, quæ naturæ principium eſt, alteram vero ex animaduerſione & cura, quam certè dicimus opem ferre ei quæ ad finem tendit, quoniam vero de priore dictum eſt, dicendum ſimiliter & de hac.* Deinceps verò diuerſas ac debilitatas vires in medicamentoſis ſtirpibus cultis proſecutus, hæc de Laſere habet. *Pyri vero Syluestris fructus quidem dulcior fit*, cultu ſcilicet, *minùs vero ſuauis odoris; etenim ob vbertatem alimenti adimitur quod odore pollet, eadem verò de Silphio ratio eſt & Lupino & ſi quid ſimile aliud, neque enim ſimiliter acrimoniam obtinet, eo quod copioſiorem & aquoſiorem alimoniam habeat.* Verùm in pri-

Lib. 3 de cauſ. plant. c. 1. ἡ περὶ τῶν φυτῶν θεωρία διττὰς ἔχει τὰς σκέψεις καὶ ἐν δυσί, μίαν μὲν τὴν ἐν τοῖς αὐτομάτοις γινομένην ἥπερ ἀρχὴ τῆς φύσεως, ἑτέραν δ' ἐκ τῆς ἐπινοίας καὶ παρασκευῆς, ἣν δή φαμεν συνεργεῖν τῇ πρὸς τὸ τέλος, ἐπεὶ δὲ περὶ τῆς πρότερον εἴρηται, λεκτέον ὁμοίως καὶ περὶ ταύτης.

Τῆς δ' ἀχράδος γλυκύτερος μὲν ὁ καρπὸς ἧττον δ' εὐώδης ἀφαιρεῖται γὰρ τὴν εὐτροφίαν καὶ τὸ εὔοσμον, ὁ δ' αὐτὸς λόγος ἐστὶ περὶ σιλφίου καὶ θερμοῦ καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον, τὸ μὲν γὰρ οὐχ ὁμοίως ἔχει τὴν δριμύτητα διὰ τὸ πλείω καὶ ὑδαρεστέραν εἶναι τὴν τροφήν.

mis, ne quid diſſimulem, & quàm ſincerô ſtudiô vnius veritatis animum ad reſcribendum appulerim, tu ipſe protinus intelliges, ad hæc Theophraſti verba hæſitanti Scaligero aures accommoda. *Silphium non naſcitur inter mites, at nunc ne vſquam quidem de Cyrenaico loquor. Aretæus de Silphio loquens agnoſcit in eo hanc graueolentiam, quæ in aſſa eſt, quomodo igitur defecerat tam ſuaue ſpirans illud alterum, quod etiam in obſoniorum condimenta petebatur.* At profectò manifeſtæ omnino contradictionis vitio teneretur iſthæc Theophraſti ſententia, ſi de Laſere Cyrenaico audiret, hoc enim illi ſingulare ac planè ἐξαιρετὸν docuit, quòd cultum omnem & induſtriam reſpuat olitoris, vt ex eodem te monueram: indeque inter documenta cognationis gentilitatiſque, quæ Magydari ſtirpi cum Silphio intercedit, ab eodem requiri ſcripſeram, an inter cæteras dotes hanc quoque referat ac ſibi retineat, vt coli ſe non patiatur, hocque ipſo iure illi arrogato ciuitatis interceſſiſſe Hippocratem, qui Silphium ſcripſerat in Africa quidem ſponte naſci, artem verò cultumque omnem natalibus propitium commodo etiam ſub cælo in Peloponneſo atque Ionia, quæ ad Pergamum Galeni patriam nobile attinet, prorſus fugere. Hinc quoque agri vnius Cyrenaici indigenas ferulas Laſeriferas authore Vitruuio propoſueram. Hæc vero plagia, parerga, leuioris fidei authoritates, excurſus per incertos authorum tramites nihil concluſuri, coniecturam iniquam quum dixeris, ab iniquiore ac maleſano imperiti juuenis judicio ad eruditorum ſenatum jure prouocauero. His inſuper in fidem locupletiorem additis inſtrumentis, quorum alia videris ſilentio malitioſiùs oppreſſiſſe: docuiſſe namque ex Theophraſto memini Silphij caulem aſſum, & elixum, conciſas quoque radices recentes in acetaria veniſſe, ejuſdem ſtirpis liquorem eodem

Comm. in hunc librum.

Diatr. pag. 26.

Diatr. pag. 30.

Diatr. pag. 25.

Diatr. pag. 24.
Pag. 48.
Pag. 3. pag. 25.

Diatr. pag. 11.

Diatr. pag. 17.

authore mare ætatemque ferre non poſſe niſi bene conditum, vt ex his accipias virentem adhuc ſcapum ſuccôque integrô plenum non potuiſſe tam longinqua tranſvectione deportari, Cyrenis nempe Athenas perque totam Græciam, vt Galeni teſtimo-

Diatrib. pag. 12.

niô oſtendimus; indeque neque de Cyrenaico Silphio, ſed de Magudari aſſo & elixo audiri debuit Theophraſtus, vt pote cuius ætate (quæ in Olympiadem 119. incidit, 140. circiter ab Hippocrate annis) adeò rareſceret Cyrenaicum Silphium, vt veſcum illud forô proſtare & in acetaria ſolenni vſu veniſſe reſtet, vt dicamus, non Cyrenis natum, ſed totâ Græciâ, Mediâ, & Perſide. Quanquam de cætero ſecundarium hoc etiam Cyrenis aduectum potuiſſet nobilitare potior fama primi nominis. Magudarim enim congenerem, ſed aliam à Silphio illo Cyrenaico plantam eſſe quæque in Syria & Parnaſſo ipſiſque Cyrenis copiosè creſcebat, notius eſt apud

6. de hiſt. plant. c. 3.

Theophraſtum quàm vt maligniùs diſſimulare pergas; etſi corrupto nominis vſu is ipſe caulem dictum Magudarim te liquidò doceat, caſtigandus quip-

Pagina 55.

pe venit iſte, quem laudas Theophraſti locus priſtinæque integritati reſtituenda hæc, quæ perperam &

6. de hiſt. plant. c. 3. μετὰ ταῦτα δὲ τὸν καυλὸν ἐκ δὲ τούτου μαγύδαριν καὶ τὸ καλούμενον φύλλον.

ſupinè ex eo à te tranſcripta. *Caulis aſſurgit ex quo Magudaris & quod folium dicitur exeunt.* Libenter ſiquidem interrogarem, quid tibi ſit Magudaris quæ è caule prodit vna cum eo quod folium dicitur? commodiùs ſaltem feciſſes, ſi acceſſiſſes Salmaſio ita caſtiganti μετὰ ταῦτα δὲ τὸν καυλὸν, ἐκ δὲ τούτου μαγύδαριν τὸ καλούμενον φύλλον, ſic vt pro ſemine Silphij Magudarim ſumi velit. Quanquam præter Theophraſti mentem, qui de ſemine

σπέρμα δ' ἔχει πλατὺ φυλλῶδες οἷον τὸ λεγόμενον φύλλον.

paucis ante ſcripſerat, *ſemen verò habet latum, folioſum veluti ideo dictum folium.* Vnde etiam Galeno φύλλια *Sil-*

In Exegeſi. φύλλια τὸ τοῦ σιλφίου σπέρμα διὰ τὸ πλατὺ εἶναι ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν γυναικείων.

phij ſemen eo quod latum ſit in 2. de morbis mulierum. Hic proinde commodiùs feceris Medicinam, ſi inter-

uerſa, ſuô dumtaxat locô ſic reddideris μετὰ ταῦτα δὲ τὸν καυλὸν μαγύδαριν, ἐκ δὲ τούτου τὸ καλούμενον φύλλον. Sed eſto ſit Polluci Silphij ſemen Magudaris, radix Silphium, planta καυλὸς, folium μάσπετον, quod Dioſcoridi caulis eſt, Heſychio nouellum folium, aut ſuccus qui eidem μαγύδαρις audit, quid exinde colliges, niſi ne tum quidem benè notæ ſtirpis nomen ſtetiſſe. Attende ad verba tui Salmaſij, *ita veteres*, inquit, *quorum ætate Cyrenaicum Laſerpitium adhuc extabat apud recentiores deperditâ eâ plantâ & obſcuratâ ejus notitiâ, multa in nominibus partium confuſio inducta & aliæ pro alijs appellatæ.* Notum verò fuiſſe & vſurpatum etiam Hippocratis ætate Silphium iſtud ὑποβολιμαῖον & ſuccenturiatum (hanc enim gratiam debet tibi cognitori Typographico perquam diligenti Diatriba, quam ſim ipſe cum fœnore repoſiturus) quæ ſequuntur apud Galenum iam laudata videntur ſignificare, quibus ait ſemen Laſerpitij ab Hippocrate ſimpliciter efferri nomine τοῦ φύλλου, interdum addi λυβικὸν, vel αἰθιοπικὸν; quaſi Cyrenaicum dicere voluiſſet, vel Æthiopicum, quod à Cyrenaico diſtingueret Cyrenarum vernaculo. Quamobrem licet ex vſu nominis recepto Silphium circa Syriam, Armeniam, Mediam & Lybiam naſci ſcripſerit Dioſcorides, alterius naturæ eſſe voluit, aliudque à Cyrenaico, vt vel odoris faciat & agnoſcat diuortia; liquor nempe Cyrenaici Laſeris τῇ ὀσμῇ προσηνέστατος; Syriaci verò & Medici βρωμωδεστέραν τὴν ὀσμὴν obtinet, ne penes magis & minùs diſtingui parum ſagaci nare exiſtimes, licet virium affinitate vti nomine communi gauderet; quod etiam ex Aetio lib. 1. in voce ὀπὸς accipere eſt. *Cyrenaicus quidem*, inquit, *omnibus eſt calidior ac tenuiorum partium, ideoque vi majore diſcutiendi, verum etiam cæteri quoque calidi ſunt & flatulenti, hoc eſt, tùm Medicus cùm Syriacus dictus quem laſer dicunt.* Accedit inſuper, quòd ſecundarium illud Silphium, quô

Lib. 6. cap. 10. ſect. 2.

Lib. 3. cap. 94.

Diatrib. pag. 29.

In Exegeſi in voce. φύλλια προσέθηκε δὲ καὶ αὐτὸς ἐν τῷ λόγῳ ποτὲ μὲν λυβικὸν, ποτὲ δὲ Αἰθιοπικὸν.

ὀπὸς καὶ λάσαρ. ὁ μὲν Κυρηναικὸς ἁπάντων ἐστὶ θερμότερος καὶ λεπτομερέστερος καὶ διὰ τοῦτο καὶ διαφορητικότερος, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ οἱ ἄλλοι θερμοὶ εἰσὶ καὶ πνευματώδεις τελοῦσιν ὅ τε μηδικὸς καὶ ὁ συριακὸς καλούμενος ὃν λάσαρ καλοῦσι.

vtebatur Galenus, viribus ignauioribus cum Magudari siue etiam Syriaco Silphio consentiat; de illo enim dixerat Theophrastus *tenerius esse minùsque vehemens.* Quod etiam de Lybica alia stirpe Magudari dictâ, Dioscorides est professus *fertur & altera Magudaris nata in Lybia radix similis Silphio minùs tamen crassa & acris, at mollis, nec succum habet, eadem autem præstat ac Silphium.* Quibus vltimis verbis lepidum illud tuum de pari virtute argumentum iugulauit. Iam verò Galenus quum succi Cyrenaici & Euphorbij vires in calefaciendo inuicem comparauit, vt alioqui penè æquas æquiùs discriminaret, dixit, succum Cyrenaicum Euphorbio ignauiorem horno, illum præsertim quô nunc vtimur. Quod si cultu vim illam emolliri effœminarique dicas, neque hoc ad Cyrenaicum Silphium legitimum spectabit ex constantissima veterum scriptorum fide, qui culturæ penitus impatiens scripserunt. Quid interim Plinio repones conquerenti diu jam non aliud inuehi Romam Laser, quam quod in Perside aut Media, aut Armenia nascitur largè sed multô infra Cyrenacum. At 60. circiter annis ante natum Galenum is è viuis excesserat. Quid ad Scribonium Largum vtroque seniorem Strabonis coætaneum, qui 100. ferè annis antequam vitales auras Galenus cepisset, vixit, ita ille *ad Anginam prodest sanguinis detractio, cucurbitarum admissio, cæteraque auxilia quibus Medici efficaciùs vtuntur, medicamenta autem simplicia quidem hæc faciunt Laser Cyrenaicum, si poterit inueniri, sin minùs Syriacum aquâ dilutum per pinnam faucibus adhibitum.* Nec tu itaque oppidò argutulus censor in re adeò manifestâ videbere, qui blaterare & nugas garrire non desinas, subdolus impostor, vulpinari creperus, lenoniâ fide Galenum vt interpoles, & corrumpas, quò desideratum ætate Galeni Silphium eodem authore ostenderem,

Lib. 6. de hist. plant. c. 3. μανώτερον τε καὶ ἧττον δριμύ.

Lib. 3. cap. 94. Λέγεται δὲ καὶ ἑτέρα μαγυδάρεως γεννωμένη ἐν λιβύῃ ῥίζα παρομοία σιλφίῳ ἧττον δὲ παχεῖα, δριμεῖα καὶ χαύνη καὶ ὀπὸν μὴ ἔχουσα, ποιεῖ δὲ τὰ αὐτὰ τῷ σιλφίῳ.

Diatrib. pag. 30.

Lib. 19. natur. hist. c. 3.

Lib. de compos. medic. cap. 16.

Diatr. pag. 31.

ejus loco ab eo ipſo ſuffectum Medicum Silphium ſignificaueram, nempe primas ille inter vulneraria neruorum medicamenta ſucco Cyrenaico dederat præcipuas illius dotes & vota ſecutus, vt, quod ſuum in hoc remedij genere eſſe debebat, præmonſtraret huius orbitate hæſit in ſecundis. *Sed eò neutiquam comparente Medico vtimur*, inquit, tu verò maledicentiæ tuæ virus vt ſpargeres & obuijs quibuſque ſimul illuderes, ſic loqueris. *Nugatus enim mentem ejus apertè illudis; quippe qui planè admiſſo Cyrenæorum liquore (quem idcircò inter calefacientes ſuccos nobiliſſimum facit præcipuum) ſi fortè non ſuppetat, non adſit, eove caremus, ſic enim* μὴ παρόντος *vertere iuuat cum Guinterio noſtro, qui Grecè callebat, tunc in illius locum Medicum ſuccum ſufficere jubet & apud omnes iam homines Cyrenæus primas tenere cognoſcitur, quò ſi caremus Medico vtimur.* Minùs reuera germanè, qui Græca alioqui callebat, & ſupra interpretis fidem ac religionem de ſuo quum addidit particulam Si. Ioannes Guinterius Andernacus Germanus tibi in Græcis rudi facilè impoſuit: quaſi de remedij genere tum ſcripſiſſet modò, quod non foret ad manum, ideoque εὐπόριστον alterum illud ſuccedaneum, ne quid operi deeſſet, ſubindicaſſet, quod perfecit iis quos ſubjungis locis perfixâ particulâ εἰ. Veruecum ſiquidem nigro de grege ac ſtolidum, planeque ſtipitem te dederis BERTINE, ſi eadem, niſi Midæ auribus ſonare velis μὴ παρόντος atque εἰ δὲ μὴ παρῇ, quâ formulâ vſus eſt, vt plenam τῶν ὑποβαλλομένων copiam arbitriô tuô relinqueret, quum de pipere eô quem citas locô egit, vbi ad flatuoſam ventriculi diſpoſitionem vſum longi piperis imprimis laudat. *Quod ſi huius copia non eſt*, reddit Linacer, tu vero malò genio corrumpis: *vtique albo vtendum.* Ita etiam velut Anſer ex Phalerno ſtolidiùs interſtrepis tuo gregi parentaturus, neque Silueſtres Anſeres ex eo periiſſe

Lib. 3. de comp. med. per genera, cap. 2.
Ἀλλὰ τούτου μὴ παρόντος καὶ τῷ μηδικῷ χρώμεθα.

Pag. 49.

Εἰ δὲ μὴ τοῦτο παρείη τῷ λευκῷ χρηστέον.

ſibi quis niſi de tuo ludo, haberet perſuaſum, quòd Galenus in componendis ex metallicis ad vulnera neruorum pharmacis locô huius adipis ſilueſtrium Anſerum, qui non foret ad manum, agreſtium Gallorum & Gallinarum aſſumeret, hoc eſt, illius inopia hôc vteretur, εἰ δὲ μὴ παρείη τοῦτο; quibus conditionibus in facienda medicina ſuccedaneorum medicamentorum agitant commercia Medicorum peritiſſimi, huius inſtitutæ formulæ exemplum dabit ipſe Galenus *ſi verò*, inquit, *nullo modo velimus oleoſum quid medicamento admouere, laricis reſinam miſcere oportet, ſi vero neque hæc, præſto nobis adfuerit, pro ipſa, terebenthinâ vtendum.* Conditionalis quippe formula rem non adimit dum ſpem facit, vt volunt juriſperiti. Quid ergo putas obtinere tandem, quum, poſthabitis veterum melioriſque notæ de re olim vſu famoſâ dudum antiquatâ teſtimonijs, nobis Syneſij Ptolemaidis Epiſcopi patriâ Cyrenæi obtrudis authoritatem, qui ducentis ac viginti fermè annis Galeno minor feracem Silphio ſuam patriam deprædicat. Etiam Ioannem Tzetzem tibi protuleram in medium, Syneſio quidem 780. Galeno vero 980. circiter annis juniorem, qui Silphij duo genera propoſuit, vile vnum, nobile & pretioſum alterum, tu ſingulari arte è duobus vnum conflas, ne illud ipſum quod recenſui ex Ariſtophane vili Athenis proſtare idem cum eo putes quod ſuo Batto Cyrenæi, Delphico Apollini Ampeliotæ, vnum omnino repertum Neroni principi oblatum inter romanas opes ſanctiore ærario conditum meminimus. Vnde vltimis temporibus vilis Silphij annona conualuit primis facta durior, nos doce nec ad nos vſque gulæ ac Medicinæ ſtudijs adeo quæſita exercitaque planta niſi vno nomine durauerit, cum interim, ſi te audimus, coli ſe ſuſtineret, Ceraſa vero quæ in Ægypto nullâ curâ potuere gigni Victori Lucullo debeamus, Zizipha Syriæ,

Lib. 3. de compoſ. medic. per gener. cap. 3.

Lib. 4. de compoſ. medic. per gener. cap. 3. εἰ δὲ μηδ' ὅλως ἐθέλωμεν ἐλαιῶδές τι τῷ φαρμάκῳ προσφέρειν τῆς λάρικος ῥητίνης μιγνύειν εἰ δέ μὴ παρείη ταύτης ἡμῖν ἀντ' αὐτῆς τῇ τερμινθίνῃ χρηστέον.

Diatrib. pag. 29.

Diatr. pag. 11.

Diatr. pag. 21.

Plin. lib. 15. cap. 25.

Syriæ, tuberes Africæ, diui Augusti nouissimis temporibus sexto Papinio viro consulari, quod nunc nostra sint alamusque Persica, quæ ipsi etiam Asiæ, Græcæque peregrina, Rhodi infœcunda Latium ægrè seriùsque acceperat, maximè cum, si mihi Philosophari tecum licet & barbarè veriùs rudere quàm loqui, vis naturæ æterna perennis in singularibus successionis ope perpetuandi consilium tueatur (barbarè dixi, cum tibi Plautina non sapiant quæ Tullio accepta sunt) itane vnum qui antestetur tot grauissimis scriptoribus antestare vis Synesium scriptâ ad fratrem Epistolâ gratulatum quod in hortulo inter alia Silphium coleret, duplicique se nomine oblectatum oleris scilicet pulchritudine & loci famâ *macte*, addit, *tam fertili atque vbere prædio sit, nec tu vnquam carissimas areolas irrigans fatigeris, ne illæ ad ejusmodi partus lassæ vnquam atque effætæ sint.* Ex quibus infers neque Silphium cultus adeò fuisse impatiens, maximè cum nihil de fera illa & agresti indole scripserit Dioscorides, nec nisi ex aliorum fide Theophrastus. Eodem titulo procliue tibi est & per me licet inferas Perseam Ægyptiam stirpem fructum cordi similem: frondem verò linguæ non habuisse, vt scripsit Plutarchus, quoniam Dioscorides de vtroque siluit: at ipse minimè doctus erat ἐξορχεῖσθαι totusque in stirpium viribus & vsu nihil ferè quicquam de cultura recitauit; adeone rerum naturæ veritas studio scribentium obnoxia veniet, vt de suo jure protinus cadat, ni scriptis fuerit consignata, omisit, ergo falsum & inane. Quantum vero ad Theophrastum, quo ore ausus es asseuerare id ex aliorum potiùs sententiâ quàm suâ scripsisse, qui in ejus euoluendis commentarijs assidui te protinus traduxerint per ora vulgi imprudentem & subleſtæ fidei scriptorem, quanquam enim illum adeò in scribendo fidum obseruare sit & diligentem, vt quæ aliorum relatu acceperit

Cap. 14.

Cap. 13.

Pagina 55.

Pag. 50.

Epistol. 106.

ἥσθην διπλῇ τῷ τε κάλλει τοῦ λαχάνου καὶ τῇ φήμῃ τοῦ τόπου. ὄναιο τοῦ παμφόρου χωρίου καὶ μήτε σὺ κάμοις ἐπαντλῶν ταῖς φιλτάταις πρασιαῖς μήτ᾽ ἐκεῖναί ποτε πρὸς τὰς ὠδῖνας ἀπαγορεύσειαν.

Lib. de Iside & Osyride.

τῶν δ᾽ ἐν αἰγύπτῳ φυτῶν μάλιστα τῇ θεῷ καθιερῶσθαι λέγουσι τὴν Περσέαν ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν.

Lib. 1. cap. 187.

à ſuis, hâc ſolenni paſſim formulâ diuidat φασὶ, λέγεται, λέγουσιν, ne pluribus in re adeo legentium oculis expoſita ſollicitior videar, illorum nihilominus dictis fidem dare ſæpiùs ſolet, vt quum de fera Laſeris indole verba facit tanquam de re indubia ſibique nota aſſeruit, illi proprium vt cultum omnem refugiat, deſeratque ſubactam laboratamque glebam, vti commeminimus, ſubinde enim vbi Cyrenaici Silphij dotes indolemque an Syriacum referat? imprimis inquirendum ipſe iudicauit, an culta Laſerpitij modo fugiat? Verùm inſuper vt injuſtiorem nimis fideque nullâ ſic nullo planè in proferendis teſtimonijs judicio nemo non te deprehenderit, qui Theophraſtum, quum Silphium culturæ impatiens dixit, alieno ore locutum dictitas & quaſi ſecùs ſentiret, vt id doceas quod ex alijs ipſe protulit, tu eidem ipſe aſcribis, *quod quidem adducto*, inquis, *Laſerpitij exemplo perſpicuè probat idem Theophraſtus, Laſerpitium ſi relinquatur, ſemen omne caulemque totum proferri & deteriora tam hæc quàm radicem reddi exiſtimant: defoſſa autem fieri meliora ſcilicet ſolo ſubacto beneque gluto.* At hoc & illud alijs authoribus enarrat, ita nempe ſe habet integra ſeries orationis. *Ad hæc quod circumfodiendum id annuatim cenſent, nam ſi relinquatur ſemen omne caulemque proferri & deteriora tam hæc quàm radicem reddi exiſtimant: defoſſa autem fieri meliora ſcilicet ſolo ſubacto beneque gluto, ſed hujus contrarium illi nolunt qui culta recuſare id inquiunt.* Quibus ſuffragantur quæ ex Plinio & Strabone, recenſuimus atque in-primis ex Hippocrate, qui cum Silphium in Ionia & Peloponneſo naſci negaſſet, cauſaſque tam agreſtis naturæ proſequeretur, inter ea reponit, quæ commodo etiam & idoneo ſole beatæ regiones cultu nequeunt enutrire, aliæ verò ſponte producunt. Neque te lateret, ſi quid teneres in botanicis, pleraſque plantas non ſolum incultis locis

Lib. 1. de hiſt. plant. cap. 6. 12. 22. & 23.
Lib. 2. cap. 1. 35.
Cap. 4. 8.
Lib. 6. de hiſt. plant. c. 3. ἴδιον δὲ τὸ φεύγειν τὴν ἐργαζομένην.

Diatrib. pag. 26.
Ibidem. Εἰ γὰρ φεύγει τὴν ἐργάσιμον ὥσπερ τὸ σίλφιον σκεπτέον.

Pag. 50.

Lib. 6. de hiſt. plant. c. 3. ὅτι φασὶ δεῖν ὀρύττειν ἐπέτειον, ἐὰν γὰρ ἐαθῇ φέρειν πᾶν τὸ σπέρμα καὶ τὸν καυλόν. χείρω δὲ γίνεσθαι, καὶ ταῦτα καὶ τὴν ῥίζαν, ὀρυττομένας δέ βελτίους γίνεσθαι διὰ τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν γῆν. ἐναντίον δὲ τοῦτο τοῦ φεύγειν τὴν ἐργάσιμον.
Diatrib. pag. 26.
Lib. 4. de morb. ὅσα τοῦ ἡλίου ἐξαρκέοντος αἱ χῶραι οὐ δύνανται τῶν θεραπευμάτων τρέφειν ἀλλαὶ γὰρ φόουσιν αὐτόματα.

gaudere, ac lætiores reddi, tesquis inhospitis neglectis noualibus & veruactis, putrem contra pinguemque & benè subactum agrum auersari, agrorum molitionibus offendi ac laborare, gratuitô liberôque naturæ beneficiô pleræque amant surgere, recusant coli manibusque tractari. Quis enim Limodorum, solis roridam, Apulei Polytrichum aureum, Androsacem primam Mathioli, cæterasque id genus stirpes ἀυτοφυεῖς cultu mansuescere hactenus didicit, hortorumque claustris potuit retinere, aut nescit populum subaratam maturiùs emori? Ne hilum proinde Salmasij accessione profeceris, qui nec aliud asserit, quàm duas de Silphio opiniones apud Theophrastum haberi, quarum altera prorsus agreste, altera culturæ patiens ferat. Verùm tibi cum Salmasio Plinij secùs in manifestaria contradictione deprehensi locus à te laudatus imposuit, dixerat namque Plinius de Cyrenarum regione. *In ea Laserpitium gigni solitum, rem feram ac contumacem & si coleretur in deserta fugientem.* Mox vero cum aliorum sententiam de Laserpitio Cyrenaico protulisset, ejusque alia forma radicem scilicet cubitali majorem habuisse, tuberoso capite ab humo extante, quô incisô succum ceu lactis manare, supernatô inde caule quem Magudarim dicebant, folia aurei coloris pro semine, ex his Laserpitium nasci solitum annuô spatiô, & radice & caule consummantibus se se, hoc & circumfodi solitum: consequenter subjungit persicô Silphiô prior opinio congruit. Cautior te ac Salmasiô in legendo Plinio tùm alibi passim cùm hîc maximè corruptissimô vti liquet, si cum Theophrasto, quæ ex eo excepit, singula pensiùs conferas, fuit doctissimus Dalechampius, legitque *posterior*, vt sic Plinium à contradictione liberaret: quanquam Salmasius primo loco scripta conuenire potiùs Silphio Persico velit, quod

In Exercit. Plin. pag. 1023.
Pag. 51.
Lib. 19. cap. 3.

in montibus ſponte creſcit , quàm Cyrenaico , quod
feraci Cyrenarum agro , vt ex Arriano prædicat ,
naſcebatur. Videas porrò cum Salmaſio quomodo
Arrianum, qui Galeni σύγχρονος 120 annis poſt denatum
Strabonem vixit , cum ipſo Strabone componas ,
Pag. 37. 40. quem citaui , Laſeriferæ quondam ſolitudinis, quæ
nunc Barcæ deſertum dicitur, αὐτόπτην Ioannem Leo-
nem Africanum quid audire recuſas ? vltrò ipſe ſe-
queſter accedam faciamque audientiam ſtatariam ,
alioqui benè auritus ſi commodaueris , vti diſceſſio-
nem ſic alioqui meditatos & in partes abituros, meâ
operâ ex æquo conciliatos ejuſmodi ſcriptores hodiè
Pythior. Od. 9. intelligas & recipias nobilitatum Pindari carmine
Παγκάρπων φυτῶν νήποινον. vbertate glebæ Cyrenæorum agrum, vt tuas & Sal-
maſii partes hocce auctariô ſuppleam , lubens reci-
pio, ad beatam copiam optimè conſtitutam vrbem
ἐν ἀργινόεντι μαστῷ, vt alibi cecinit , vltrò fateor , quin etiam
Strabonem ipſum διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας agnouiſſe καμίκαρ-
πον ; hinc opulentos ac fortunatos vrbis huius muni-
Lib. 6. cipes voluiſſe Pauſaniam. Quin etiam agrum Cyre-
naicum in tres plagas diſtributum reſtibilis fœcundi-
Lib. 4. tatis meritô, ἀξίας θαύματος Herodotum Hippocratis coæ-
taneum prædicaſſe, nempe in Maritimam, in qua plena
maturi fructus meſſis vindemiaque eſt; Alteram dein-
ceps, quæ ſupra mare mediâ ſui parte in colliculos
tumuloſque ſurgit, βουνοὺς dicunt, frugum auidos , quas
dum adornant , ſimul & tertia omnium editiſſima
ferre ac maturare ſuas geſtit. At verò arenoſa &
ſqualida his interjacebat, quam Strabo vno Laſere
beatam anguſto limite prædicauit , quem à platæa in-
ſula ad oſtia Syrtis Herodotus circumſcripſit : & re-
uera quidem quî Laſer tam breui perire potuerit?
adeò fortunatis natalibus locique beatâ indole na-
tum, tantô , vt ais, excultum ſtudiô & induſtriâ , tantô
denique pretiô redimendum quis ſibi vſquam habere

potuerit perſuaſum? nec deſiiſſe tubera, quæ ſeri non poſſunt, ſine ſemine & radice naſcuntur ac perennant, nihil debent arti, ſed in otioſæ gulæ vota clanculario partu è terræ ſinu vltrò prodeunt. Malè itaque ex hac Syneſij authoritate colligis beatam illam ſucci Cyrenaici tum copiam fuiſſe, quam vel ipſi Theophraſti æuô tuus ille Salmaſius etiam inuidit teſtatiſſimæ pluribus retro ſæculis ejuſdem raritatis argumentis conuictus, quæ impulere tandem vt diceret. *Scribit Theophraſtus hyeme & vere pecus in montem abigi ſolitum, vt Laſerpitium depaſceretur quo ſaginabatur, hoc non de Cyrenaico ſed de Medico intelligendum.* Age ergo BERTINE, ac quod veteratoriè facere ſoles, quicquid horum te excruciat animi pro tuo more diſpunge, linguæ tempera, vel quando aliud conſilij tibi extitit, ſicubi Silphij Laſeriſve nomen inſcriptum compereris, vel apud ætatis vltimæ ſcriptores per Aſclepium, per Stygem, aut, quod tibi cariùs penſiùſque eſt, per inferi Iouis Stibium jura, dejura illud Cyrenaicum purum putum eſſe, longis tibiis prædica, hôcque pecudum gregem vt paſcas, dux gregis ipſe præi, pro ſymbolo daturus Syneſij ad Pilemenem Epiſtolam (cujus in recenſenda numerali nota parum quoque fidelis es) quâ in anteceſſum admonet, ſe ſucci Laſerpitij magnam vim ſuo Triphoni mox dono mittendam adornaturum, ejus ſcilicet qui Batti fuit. Verum hæc vltima de Batto verba ex Manuſcripto codice qui Pauli Petauij Regij Senatoris erat, non vero Bibliothecæ Regiæ, vt tu, qui oſcitanter legere ſoles aliorum ſcripta, aſcribis ſe ſuppleuiſſe notis ad Syneſium doctiſſimus Dionyſius Petauius confeſſus eſt. *Suppleuimus ex Pet. voces aliquot*, inquit, *nimirum* βάττου γὰρ ἀκούεις δήπου καὶ κεδνὸν ἄριστον *&c. quanquam poſt* δήπου *vocula quædam erat, quam legere prorſus non potui, ſic autem depicta fuit* (ὐ)

Exercit. Plin. pag. 1024.

Epiſtol. 135.
τρύφωνι τὰ δῶρα παρασκευάσαμεν ὀπὸν σιλφίου πολύν. βάττου γὰρ ἀκούεις αὐτὸ δήπου.

cæterum aliquid ante ἀγαθὸν γὰρ καὶ ἡ Κυρ &c. *præter* ὀπὸν σιλφίου *desiderari ex eo conuincitur, quod de Silphio necesse non fuerit proloqui Synesium, ipsum etiam Cyrenis non malum prouenire, cum ibidem omnium haud dubiè præstantissimum nasceretur.* Quibus liquidò satis arguit ille loci hujus mutili laborare fidem; cui tu leuifidus tantùm concedis; fuerit tamen is integer, ad quem regius manuscriptus codex, si velis, veniat castigandus, non vides voluisse Synesium famâ loci & titulô amplificare mittendi muneris dignitatem, maximè cum scribendo jocari se velle significasset, ac frigidum quid & γοργιαῖον meditatum, quum Tryphonem aureum dixisset. *Oportet enim*, inquiebat, *in iis frigidum aliquid & Gorgiæ simile dicere.* Frigidum autem apud Rhetores & γοργιαῖον illud audit, quod nimium in oratione est longius ductum & ad ornatum quæsitum, ac delitias facit frigidâ affectatione. Itane ergo si ab ipso Batto se scripsisset accepisse, & proximô quôque tempore ipsâ Thesei naui comportandum Silphium curasse, protinùs Batto conuixisse Cyrenæum Synesium prædicares, nobilemque Philosophorum contentione illam Thesei nauim Demetrij Phalerei tempora diceres excurrisse, vt Synesio seruiret. Quasi verò orbitatem suam adoptiui alterius Silphij vsu & commerciô solari non potuisset Cyrene, ac plurimam Magudarim, quam alebat Theophrasti ætate, & à popularibus suis Cyrenensibus spe deuorabat Plautinus Trachalio, alteri nomen & famam dare? Certè quòd Magudaris Cyrene plurima extiterit, fidem ille facit ac suffragatur Doctissimo Scaligero, subducta negatiua particula οὐκ, è Theodori codice Medicinam huic Theophrasti loco facienti, quô ille de Magudari scribit *nascitur circa Syriam & in Cyrene, aiunt etiam & in Parnasso monte multam esse.*

Pergis ad extremum ridendus & Ilia ducis.

Τρύφωνι τῷ χρυσῷ. δεῖ γὰρ τι καὶ ἐν τούτοις ψυχρὸν εἰπεῖν καὶ γοργιαῖον.

Plutar. in Theseo.

In Rudente.

Lib. 6. de hist. plant. c. 3. Γίνεται δὲ περὶ Συρίαν καὶ ἐν Κυρήνῃ, φασὶ δὲ καὶ ἐν τῷ Παρνασσίῳ ὄρει πολλήν.

Horat. lib. 1. Epistolar. Epist. 1.

BERTINE, vt exclamas, vindicique & ſoſpitali Cyrenaici Laſeris Syneſio applaudas, *aurea meher-* Pag. 53.
cule verba, quibus præſertim ætatis illius diuitias, quæ magna liquoris Cyrenaici, ex ipsâ Silphij, Batto, vt fama tulerat, Cyrenarum conditori eximio ſacrati muneris, ſtirpe eliciti copiâ abundaſſe viſa eſt; depluente iugiter velut imbre piceô fœcundum, ſolitâque meſſe beatum Cyrenenſe ſolum miraberis, ô te plumbeum! qui improbo & ſub ærato nummo ſic luderis, ſic illudere denuò paras, & nugas pleno ore fundis nouas, dum Ariolus accedis, aiſque munus Syneſium diſtuliſſe, quòd Laſeris ſuccum recens elicitum apud ſe modô haberet, *hoc eſt*, inquis, ἀργὸν *rudem, vt ait Theophraſtus*, Pag. 53.
ex eoque minus idoneum vt integer ætatem & mare ferret. A quo id habes, dic quæſo? nec enim hanc moræ cauſam Syneſius prætexuit, qui nullam addidit, ſolùmque fatetur ſibi in præſentiâ non licuiſſe mittere, in alteram tranſuectionem munus dilatum, ſuo proinde forſan Silphio vt Struthiocame- Epiſt. 133. οὐ μὴν ἐξεγένετο πέμπειν τόγε νῦν ἔχον, ἀλλ᾽ ἐκπέμψαιμεν αὖ εἰς ἑτέραν ναῦν.
lis metuebat ille ob intutum iter hoſtium armis infeſtum; aut quia alia non erant ad manum, quæ ſimul mittere ſibi propoſuerat, vel quod aliô quôpiam caſu præpeditus foret, nobis quidem ignoto, de quo tecum diuinare non vacat. Cogitare enim quod ἀργὸν id eſt, vt vis ruditer, rudem & nouitium modò tum haberet Laſeris ſuccum, nec artificiô contra deportationis injuriam munitum, injurioſum planè eſt Laſeriferæ Cyrenarum vbertati, nec vox ἀργὸν id ſonat, ſed quod ſponte nullâ adhibitâ operâ è vulnerato caule aut radice cæsâ manat. Ita Salmaſius, *Theo-*
phraſtus ὀπὸν ἀργὸν *vocat natiuum Silphij ſuccum, ſicut ex* In Exercit. Plin.
caule vel radice profluxit, at ſiniſtrè is ipſe mox addidit, ἐργαστὸν *verò appellat factitium, qui certò modô præparatur vt vetuſtatis patiens eſſe queat.* Nec enim aduertit tuo in Silphio Theophraſtum obſeruâſſe ἐργασίαν ἢ τομὴν, Lib. 9. de hiſt. plant. c. 1.

ac diſtinxiſſe, aliam item ὀπισμοῦ ſpeciem agnouiſſe, quæ expreſſione fiat vique eliciatur, ac quod ea eſſe debeat vis & ratio hujus nominis, ipſe ſubinde teſtatur Salmaſius, *ſic thus* ἀργὸν, inquit, *Theophraſtus vocat, quod affertur ſicut ex arbore manauit naturali lacryma.* Et certè vterque arte muniri curarique ante debuit, quàm peregrè comportaretur ac integer duraret. Conclude tandem & aduerſus neceſſarias rerum caducarum leges argumentis diſputa? prouoca ad lyceum, ratiunculis cum ineluctabili naturæ fâto tuipſe luctare! oua! triumpha! dic perennare in rebus

Pagina 55. ipſis vim naturæ æternam eâdem perſeuerante mundi conſtantiâ, ſimilique ab ortu illius in vniuerſum genus propagatô vigore, eaſdem ſtare in integro nutritionis, incrementi & ortus vires viceſque, vt

Pagina 56. inde ſpecies rerum æternas conſtituas & quâdam veluti ἀποσπλαφιώσει ſacram æternitati ſtirpem ſoſpites. Naturæ leges mutari neſcias clauis fixas ferreis, aut ſi illis ſatis nec dum ſecurus times, adamantinis appella, frugi illam auidamque ſui, nihil rerum dicas perdere? cum nec iſta in ſtirpibus, quæ in brutis ſibi permiſerit, diuerticula opere tam vago & ambiguo ortus & nutricationis tot caſibus & injurijs obuia & expoſita. Næ tu ipſe ſic idoneus ægræ adeò huic cauſæ publicæ patronus futurus es? cuius te mox

Pag. 57. ſtultiſſimum profitearis præuaricatorem, *cum ignorati potius temporumque infortunio obſcurati cum ſtirpe liquoris argumenta dari, quàm vtriuſque omnimodè extincti aſſeueres.* Laſeriferam tibi deſigno Cyrenem BERTINE, tu viribus, formâ, famâ notum Silphium, ſuccum Cyrenaicumi nobis ſtudioſè requirentibus exhibe? Ecquid enim in res æternas edaci alioquin tempori juris jure facias non video? Votis vt pronior accedam tuis, meis decedam, ſpem deſiderati priſci Laſeris, tibi verò repræſentandi negotium minui volo,

gratiam

ampliari, Magudarim duris natalibus æuo pertinaciore pluribus retro sæculis superstitem pro legitimo Lasere iam porrige & supprome? Ecquid hæsitas aut tergiuersaris? An ipsam quoque plantam temporum infortunio, vt rerum natura eriperet, Cyrenis non modò, sed tota Lybiâ, Syriâ, Mediâ, Græciâ iussit migrare, & in Elysios campos tot injurijs sepositam, nec perituræ glebæ creditam transduci? Sint species rerum æternæ? An ideò rerum natura desideratô ducentis ferè ante Hippocratem annis Silphiô, nunc carere non potuit? Scaligeri, quô te munis, reuincam authoritate, quâ aduersus Cardanum insurgit, cum dixisset, nullam auem venenatam esse, aut si quæ sit non diuturnam. *Quasi vero*, inquit, *species deficere atque iterum repetito naturæ opere tanquam postliminio redire aut refici videamus. Etenim successione comparat æternitatem natura materiæ corruptibili, nam quod Præceptores nostri de Rosa disputabant, quasi cùm hìc deficeret, esset alibi, atque ita semper esset, multùm illi versati in arduâ & subtili philosophiâ, non meminerant Rosam esse partem, seu tanquam partem, omnino enim opus est, quare satis est, si sit in vi atque potestate operantis.* Dicam ampliùs species non esse definitas, quum rerum vniuersitatem supremus Opifex conderet, hoc terræ pensum tertiô assignauit die, herbam vt daret diuinô verbô insitæ nec perituræ fœcunditatis arbitriô, dominæque ætheris virtuti illarum discrimina, gentilitates, diuortia permisit. *Et dixit Deus, germinet terra herbam pabuli seminans semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen ejus sit in ipso secundum genus super terram, & factum est sic.* Solum audiuit præceptum, inquit Chrysostomus, & statim quæ apud se erant, ostendit. Itane vero si terris omnibus, deque rerum natura Betonica, Dictamnum, Silphium exulet, herbarum gentem

Exercitat. 188.

Genes. cap. 1. art. 11.
Καὶ εἶπειν ἡ θεὸς, βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ξύλον κάρπιμον ποιοῦν καρπὸν, οὗ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ κατὰ γένος ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐγένετο οὕτως.

Homil. 5. in cap. 1. genes.
μόνον ἤκουσε τοῦ ἐπιτάγματος καὶ εὐθέως τὰ παρ' ἑαυτῆς ἐπεδείξατο.

omnem neceſſum eſt tum perire? vniuſque Cyrenaici Silphij orbitate deſolatam & in antiquum Chaos redituram terram ſterileſcere? Quid ſi tibi vel in eo propitius futurus dixerim, Laſerpitium necdum perjiſſe, an protinus Cyrenaicum velles dari? ſuum olim habuerint Cyrenæi, noſtrum nobis alit ora Maſſilienſis, quidni eidem fato obnoxium? Itane nihil tam caduco elemento vſque dum ereptum putas arborem vitæ require? quin imò ne cœlos quidem ipſos hâcce communis ſortis injuriâ voluit eximi qui tornauit. Ariſtotelis ætate crinitum in Caniculæ coxâ Sydus euanuit, diui Auguſtini æuo Veneris aſtrum figuram, lucem, magnitudinem mutauit. Noua in Caſſiopæa anno 1572. totô integrô bienniô illuxit ſtella, hôc elapsô ſic extincta eſt, vt nec Galilæi Dioptrâ ætas noſtra perſpicacior illam potuerit deprehendere

1. Meteorologic. c. 6.

------- ſic aſtra viarum
Mutauere fidem, morituraque lumina cœlo,
Deliquij ſenſere vices.

Quid ni igitur eamdem experiri ſortem terræ dabitur? conceſsâque vti libertate & plenâ copiâ fœcunditatis; vt nonnullas illa ſtirpes certis locis & temporibus nullô exemplô ac planè καινοτόμος edat, quas ſubinde perdat, vt nouo partu nos ditet; mutationis ſiquidem vices laboremque aſſiduum creatis rebus longè optimus artifex indidit, veluti quædam generationis purgamenta, vt ſcitè locutus eſt Triſmegiſtus, ideoque noua quotidie oſtendi celariue ſtirpium miracula non magis incommodum eſt nobis profiteri, quàm illi pronum paratumque de ſuo ſinu promere. Etenim vt rectè admodum concluſit Philoponus de ſpontaneo ſtirpium & nonnullorum animantium exortu philoſophatus, *ſeminales rerum futurarum rationes elementis Deus ab initio indidit.* Eamque in

Pimand. cap. 14.
Καὶ διὰ τοῦτο τὴν μεταβολὴν ἐποίησε ὁ θεὸς ὥσπερ ἀνακάθαρσιν τῆς γενέσεως.

Lib. 5. de mundi creat. cap. 6.
τοὺς σπερματικοὺς ἄρα τῶν ἐσομένων λόγους ἐν τοῖς στοιχείοις ὁ θεὸς ἐξ ἀρχῆς κατεβάλετο.

rem paulò ante dixerat, *ſingulariter quidem præceptum Dei datum, in copiam verò operibus exceſſit.* Verumtamen, vt eum in me ſinceri pectoris agnoſcas ingenuum candorem, quem omnes in te deſiderant, fauere tibi quodammodo videretur, quæ ſequitur oratio Philoponi, quâ exponit primas illas terræ inditæ fœcunditatis vires *ſecundum genus aſſignatas & definitas*, aitque hæc verba *ſecundum vnumquodque genus herbæ* ſic intelligenda, *vt multæ numero factæ ſint ejuſdem ſpeciei plantæ, veluti dixerim Lactucæ Maluæ, Roſæ, Violæ, Gramina, Serpilla, & in omni eorum ſpecie ſimiliter & conſequenter etiam arborum ſpecies & animarum.* Verum hæc de genere ſignificauit, διὰ τοῦ κατὰ γένος τὸ ἑνικὸν γένος ἐδήλωσεν, adeò vt ſumma genera plantarum terræ fœcunditas prima dederit in arboribus, fruticibus, ſuffruticibus, herbiſque non modò, verùm etiam in primis ſingulorum generum differentijs; gentem herbarum itaque, cerealium, graminearum, bulboſarum, ferulacearum, ſcanſilium, reptilium, ſemel iuſſa de ſinu ſimul eduxit illa, ſimul definiuit, pro vario demùm cauſarum complexu conuentuque nouas in diem datura, quarum ortu Domini verbo concreditæ virtutis jura dum ampliat, vel potius exhibet, religionem ſimul & obſequij fidem vim diuinæ vocis immortali eôque inexhauſtô parendi pariendique ſtudiô oſtendit: putaſne naſcente mundo audita illa in plantis & animalibus adulteria naturæ, quæ caſus vel rerum ſuôpte ingeniô caducarum fecit, iniuria aut gratia vel ars dominæ magiſtra occupauit iuſſitque pati; talia, mihi crede, rerum ſorti obnoxia mortalis conditio obtinuit, vt nihil hic æternum ſtaret, præter legem Conditoris. Quid hæc in vltimo genere viuentium fieri pernegeſ? quibus ne hominis quidem ad ſui authoris ſpeciem ficti dignitas renuntiauit; nempe Macrocephalos, quos in injuriam bene tornati capitis miſera &

Lib. 4. cap. 7. ἑνικῶς μὲν τὸ πρόσταγμα τοῦ θεοῦ γινόμενον, εἰς πλῆθος δὲ τοῖς ἔργοις ἐκβαῖνον.

Cap. 8. καθ' ἕκαστον γένος βοτάνης.

Πολλαὶ τῷ ἀριθμῷ γεγόνασιν ὁμοειδεῖς, οἷον φέρε θριδακῖναι, μαλάχαι, ῥοδωνίαι, ἰωνίαι, ἀγρώστεις, ἕρπυλλοι, καὶ ἐπὶ παντὸς τῶν τοιούτων εἴδους ὁμοίως καὶ τὰ τῶν δένδρων ἀκολούθως εἴδη καὶ τὰ τῶν ψυχῶν.

Hippocrates lib. de aere, locis & aquis.

infœlix primùm fecerat hominum induſtria, poſita in vinculis artis, quod mirere, æmula natura non ſolum ferre didicit, ſed imitari. At duriori planè ſtirpes etiam teneri conditione facilè intelligas, ſpeciem illas ſæpenumerò mutare, ipſamque quod ampliùs vltrò exuere naturam, vt in aliam abeant, tu ipſe obſeruaueris, ſic Typha & Zea triticum fit, idem in Lolium transformatur, Ocymum in Serpillum, Ficus in Caprificum; Vitis in Labruſcam degenerat. Quid aliud hæc omnia tibi clamant BERTINE? niſi quanta ſit in natura rerum ortus interituſque vis & viciſſitudo, quàm luculenta & variè mutabilis conditio geniti, prouincia generantis, gratia & poteſtas ampla conditoris? Silphiô illô vetere ac legitimô incunabulis ætatique propior vſus fuerit Hippocrates, Semotior Galenus, Galenoque quin etiam propiores caruerint, alterum adoptarint ipſi, quod à nobis tandem foret deſideratum. Quid ita? caducum erat, caduci quid ab hoc alienum putas? nomen tibi habes, quod alteri in orbitatis ſolatium adoptes. Hæc vt ſingula denuò probarem adhibitis teſtibus idoneis exquiſitis rationibus, ſcriptô iterum Apologeticô etiam inuitum adegiſti BERTINE, ne gentile Stibij odium malè ſtreperus inter Germanos Perperos tertius oggannias; quô vnô omnibus penè locis percrepis, nouitiæ Empeiricorum ſectæ tympanum; modô namque ipſoque in limine aduerſus latentis tectique Stimmimachi calumnias defenſionem ais te ſuſcepiſſe, ne iners & in communi Stibatrωn causâ, quòd tua fata voluere, aſymbolus venires; modò nomen me commodaſſe, vt odium ille in te & Stibij fautores expleret, qui quidem cum Greuino Stibij atque Stibiatrωn odiô mihi amicus, eô in clariſſimum Renaudotum animô id egit, vt ſtylum diſtringeret, qui Benjuinum noſtrum vete-

Theophraſt. 2. de hiſt. plant. c. 4. 5. Lib. 5. cap. 8.

Pagina 5.

Pag. 16.

Pag. 37.

rum esse Laser Cyrenaicum cum Guintero Andernaco, Apolline, (adeò perfunctoriè etiam libri titulum legis, & authorem putas? Hæc namque Hædera est, quam Franciscus Alexander Vercellensis Medicus operi suo appendit) Agricola, Mathiolo, Syluio, Stimmimacho Greuino, Fuschio, Valleriola, Martinio, Stephano scripserat, studiumque simul ille, hâc datâ occasione, in Stibij nomen ejusque acerrimos defensores alienum maximè ostenderet, quippe qui nihil in arte regium ac eminens sustinuit, cujus non violauerit dignitatem. Hinc tot conuitiis proscissum te quiritaris, pro tuo symbolo in famam regij Remedij dato, cùm gloriosum foret in hujus gratiam precibus illustrissimi Archiatri D. Vallotij legitimo Stibij vsu subscripsisse, tibi etiam tum iuniori Medico in regiorum Medicorum album summâ hujus humanitate & gratiâ cooptato, qui aliàs volentem satis pro nutu ac imperio ducere poterat, maximè cum ante sub Valterio semel, pluries verò se solô authore subqùe ejus auspicijs illud exhibuisses: te postea Stibium, iis vsum consiliarijs, propinasse, quos non ita multò post juratos Stibij hostes sis expertus, ex quo prô communi eorum sorte, qui aliquid pro se, laudatove Antimonio scripserant dixerantve præceps Pithœgiæ insania, effrænatus Aletophanis furor & inclementioris Diatribæ acerbitas exarserit. Vtque omnem paginam tuo Stibio collutules, dum imples, arma necdum indutus, ornatusque Professorijs insignibus superbiùs accissas, hancque laureolam in mustaceo præmaturè decerpis, te scilicet ab iis gloriaris renuntiatum Scholæ Professorem, qui vno excepto clarissimo D. Petit Stibiatrum partibus non obscurè infensi erant, atque ex iis in Antimonium diffusè & eleganter D. Germanum scripsisse, noua insuper authori Diatrìbæ tan-

Pag. 65. Pag. 96. Pag. 70. Pag. 71. Pag. 75.

dem ais esse fastidio, vt Stibij gloriam minuat. Quid Stibio & Silphio BERTINE? vt tam multa de illo spargas, de hoc tam pauca, imo penè nulla? Quid Diatribæ cum Pithœgiâ & Aletophane negotij.

Men! piacularem oportet fieri ob perfidiam tuam
Ni meum nomen flagitio tuo subdam succidaneum.

In Epidico.
Diatr. pag. 5.

Vt Plautine loqui tecum, quod ægrè est, non desinam: certè ne ipsum quidem adeò inauspicatum Majoribus visum Antimonij nomen proferre, nisi semel sustinui; quum tibi ex libro D. Renaudoti iunioris in gratiam Antimonij scripto, inter disputandum ostenderem, ætati nostræ eo ipso authore, cui subscripseras, Silphium non deesse, vti in Thesi contendebas, quod is illud ipsum nostrum Benjuium assereret. Quanquam hæc ab eo incogitantiùs scripta vnâ armatus pertinaciâ & imperitiâ etiamnum ausis defendere, numero scilicet scriptorum recentiorum instructior, qui huic errori præiere, quasi excusatius foret peccatum inter plures; in quos ne offenderes, iis nominatim citatis prouideram, cum ex pluribus oculatis scriptoribus nostrum Benjuinum gummi esse vastæ arboris meminissem, succum vero Cyrenaicum stirpis è ferularum gente Theophrasto videri, quam Suidas φυτέειον appellauit, scapum habere dixit Dioscorides ferulæ similem, à tuo etiam Synesio λάχανον dictum inuenio apud Tzetzem. Addam insuper, si velis, ex Iacobo Bontio, qui in Iaua Benioiferas plantas obseruauit, & plantam dici mavult, minùs commodè arborem, nisi ex pluribus Sarmentis altè surgentem Smilacis asperæ æmulam, sed eâ crassitudine, vt brachium æquent illa, vel superent; ita vt in medio truncum arboris continuum satis crassum erigat, ex hujus stirpis seu arboris inciso cortice sæpissimè frusta Benjoini se collegisse ille testatus est. Hæc tamen projectæ te adeo in scribendo fidei dimouere non potuerunt,

Diatr. pag. 4. 5.
Diatrib. pag. 15. & 16.
Diatr. pag. 17.
Pagina 18.
Chil. 6. sect. 48.
Animaduers. in Garciam ab horto. cap. 5.

quin in liberando Renaudoto, propositâ licet de Beniuino Bauhini sententiâ Renaudoto ejusque authoribus aduersâ, tandem adscriberes *licet tamen*, inquis, *vt vides, propositis doctissimorum virorum duabus sententijs, adeò vt, facile non sit dijudicare, vtra vtri anteponenda sit, lis tota de Benioino nostrate, num foret Laser veterum, commota, sub judice etiamnum versari non immeritò diceretur.* Pag. 63. Ignoscere potiùs ejusmodi scriptorum ætati debueras, cui, nondum è quâ plantâ Benjuinum manaret, erat compertum, quàm eô venia digniori illorum inscitiæ imperitiùs tuipse dicam impudentiùs suffragari: quô nomine Greuinum, quanquam Stimmimachum, diuisi me habere ne dubites, BERTINE, qui nullius partibus sacramento, vel nomine, aut perfidiosâ subscriptione obligatus, nec tuis legibus nec moribus vtor, sed mei sum juris, vnique veritati seruio; nihil quod illi non sit regium duco, nec cum hujus numinis injuria, cui vni sincero & puro ab omni assentationis studio pectore litandum duxi, cujusquam amicitiam coli aut comparari posse apud me recipio: odium amicitiam ita ex illius religione æstimo, mihique tempero, Principum ex ordine nostro virorum magna exempla secutus, longèque optimi in-primis Præceptoris, ex cujus genio didici & accepi neminem odisse præter errorem internecinum arti, indignum innocentissimæ Professionis nomine & sanctitate, damnatum nostris Majoribus, aut à veterum denique litterarum dignitate integritateque alienum. Hoc vnô nomine scribendo dicendoque, quicquid à me tibi venit diuidiarum, Silphij succique veterum Cyrenaici causa & controuersia obtinuit. Ecquid igitur Stibij æterno à Majoribus nostris damnati exilio memoriam, jusso ampliùs ac recenti sapientis Scholæ silentio, conditam ipse refricas? Exciditne animo memoria comitiorum, quæ habita

15. Februarij 1656. Quibus cautum ne publica mentio Stibij ſermone ſcriptove fieret, iterum quoque 1[a]. Februarij ſancitum, aliam ab eâ theſim quam M. Germanus Hureau propoſuerat de Stibij in Apoplexiâ vſu proximis Martinalibus diſputaturus ipſe, etiam à Decano iam probatam exhiberet, de qua poſt Paſchalia diſputaret; qui quidem ſuo ordine & loco paruit ac diſputauit de Quæſtione quodlibetariâ, *An ſint in oculis manifeſta arcana cordis* die Iouis 7. Decembris 1657. Itane putas erroris de Silphio fateor, quantùm ad artis opera leuioris minuere famam authoratiore flagitio, vbi communi bonorum omnium odiô celauiſſes, cujus causâ eras proculdubio exauthorandus, ſi Majores reuiuiſcerent, aut integris illorum legibus moribuſque ætate noſtrâ viueremus, fatum interim quòd illo te contaminaueris accuſas.

Pag. 5.

Quid innocentis nomen appellas nocens?

Pag. 70.

In manibus erat, quod à te patratum eſt. Glorioſum, inquis, tibi fuit in Stibij gratiam precibus non modò victum Illuſtriſſimi Archiatri Domini Vallotij, ſed in ſuper humanitate, qui te juniorem honorarij Regij Medici titulo ornauerat, ex eoque volentem ſatis pro nutu ac imperio, quò vellet, potuerat ducere, clanculariæ ſcriptioni domeſticatim rogatæ nomen ſubſcribere, quò ceu de exilio reduceres ſalutarem illum deorum potum, quem priùs eodem ipſo vſus authore ejuſque auſpicijs fortunatô exitu ſæpiculè propinaueras. Ergone glorioſum ducis, quod ſcelere & perfidiâ conflatum ad gloriam duceret? Adeone ſacramenti in tua inauguratione ſolenni ritu coram præſtiti parum memor es, vt neſcias iuraſſe, te deinceps morigerum Scholæ placitis legibuſque, nec cum iis qui [nullo] nomine & titulô Pariſiis Medicinam factitant futurum vſquam vt

conſueſceres,

consuesceres, aut ab vniuerso ordine damnata vsurpares: tùm meherclè quûm jurares solennia verba præeunte nostrorum Apparitorum seniore, illud tibi Euripidis non exciderat.

Iurata lingua est, mente juraui nihil.

In Hippolyto.
ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Vide quâ iniuriâ publicæ famæ impunis publicique fiduciâ sceleris nobis imponere pergis ac meditaris BERTINE, die Iouis 4. Iulij 1652. epotô Stibiô abijt ad plures Franciscus Valterius Archiatrorum Comes, at priùs, nempe 26. Martij, hoc est, tribus antè mensibus & octo diebus, vt fateris, ejusdem anni Antimonio nomen dederas, precibus, inquis, Domini Vallotij Illustrissimi Archiatri: cui sanè viuus tum & videns jure suo fecisset primiceriæ huius dignitatis controuersiam Valterius; nec dum enim supremum illum apicem temporum fortuna Domino Vallotio indulserat, habebatque Comitiuæ hunc principatum in numerato: imò verò sine lege & jure, quod te latere solenni sacramento nexum non poterat, apud nos artem tùm profitebatur. Quod ne memores à me malitiosè & præter rem scriptum (qui me ad aliquid de hoc argumento obiter & per transennam hìc dicendum scribendo me prouocasti, alienum alioquin non minùs à tuo maleuolo genio, quàm ab ejusmodi παρεκβολαῖς) memineris te hôc in Comitijs ordinarijs nomine, die Sabbathi 24. Februarij 1652. quòd cum eo præter statuta datamque in omnium ore atque oculis fidem Medicinam fecisses, fuisse delatum; curiatis demùm de more Comitijs indictis à meritissimo tum temporis Decano, nunc verò clarissimo Professore Regio M. Guidone Patin (à quo accepisse me facti conscius tu intelligas, etiam oculatis idoneis testibus ipsisque Scholæ fastis, si obnunties, reuincendus) die Martis 27. Februarij ejusdem anni in manifesto perjurio deprehensum; postulante deni-

que Censore rem ad tertia Comitia delatam, quibus die Iouis 29. Februarij vltimò habitis, violati ejus statuti nuper per decretum renouati die Veneris 12. Maij 1651. Reum te facultas vniuersa damnauit, èque sinu suo rejiculum in annum omnibus emolumentis & honoribus carere æquissimum censuit. Cui quidem pœnæ à te fuisset tum illâ iubente integrè satisfactum, nisi tandem Comitijs 9. Martij sequentis anni conuocatis religione sacrorum ante Paschalia dierum motâ ad misericordiam facultate, veniam pro te agnoscente crimen supplex M. Philibertus Morisset & ipse Stimmimachus (vt salutem iis, quos tibi reputas inimicos, velis nolis, debeas) impetrasset, eâ tamen conditione, vt scriptô culpam agnosceres, peteres inde veniam. Quibus à te ex formulâ in Commentarios facultatis relata 10. Martij ejusdem anni satisfactum. Et tamen ex illis es BERTINE, adeò leuifidus, sacramenti parum memor gratiæque recens acceptæ, vt non modò sexdecim exinde diebus clandestinâ syngraphâ aduersus Majorum doctrinam & decreta conjuraueris, sed cum alienis & à facultate minimè probatis consilia inire non desieris modô, verùm vt res tuas domi angustas compendiô faceres, studiosiùs ambieris. In his igitur cum adeò grauiter à te sit peccatum, quis in leuioris momenti negotio, quodque ad veteris Historiæ fidem asserendam solummodò faciebat, tibi præsertim, qui adeò largè blandus es, vt obuijs quibusque obtrudas palpum, deinceps credat? ô egregium nec de pluribus vnum causæ in medendo sonticæ suffragatorem! ô perquàm idoneum alienæ procuratorem fidei! qui planè se pedarium etiam quum Pistrinario Mulo vehitur inanisque totâ vrbe obambulat & redit quæruli interea loci Agasonis fame lassis lactibus, iugi itinere, pedibus ostentet. Si tantùm opis ejusque in mor-

bis etiam deploratis, in vno maximè Stibio collocandum arbitratus eras BERTINE, ambitiosus meherclè nimis aut certè parum humanus videbere, qui calculum vt adderes, remque Stibij vtcumque nouus ipse Arpinas promoueres, precibus ab eo adigi impellique, etiam periculô sæpiùs factô doctus sustinuisti: qui te pro herili jure in vinculis nexum sic tenebat præcociore singularis beneficij gratiâ Regium ex Nouitio factum veluti somnio Medicum. Secùs verô si quod juueni necdum perito Majorum placita & decreta dictauerant, Stibium venenum esse, cui nec ipse, quanquam precariâ istâ suffragratione tibi deuinctissimo, res tui capitis de more sectæ ausus fueris credere, veritus scilicet Talionem: putasne absolui ab infœlici adeò in cæteris veneni huius vsu, quod, vt soles, ex aliorum sententiâ, numero, vel authoritate victus propinaueris! Grauiora etiam à te per has bonarum litterarum inferias erat præstolari BERTINE, qui nonnisi tragicè loqui doctus, quasi oleum in Midæ auricula ferres, nec intra vestibulum quidem continere te protuisti, Censor quippe bonus, at clemens Lanista; adeò suffenus jam tibi es, vt te in proximè sequentem annum Scholæ Professorem ante decem menses in disciplinam datum jactites, & numeri potiùs quàm muneris sollicitus plures tribus jam tibi benè prouidus redemeris Auditores. Dulce, quod adhuc nescis BERTINE, bellum est inexpertis, ac si vires tuas priùs consuluisses protinùs ab ambitiosâ istâ & studiosâ nimium abstinuisses prensatione, quâ plus æquô tuum Clarissimi Domini Petit suffragium occupares. Vtinam, vtinam ex animo dixerim, quod sors tulit, ipse impleas, ac improbô labore par tantô nomini, quod tibi meritissimi Professores reliquêre, Pagina 72.
ipse accedas. Vt non tam sortitò, vel majore vi, vt fateris, vocatus, quàm judiciô electus videaris. Non

eſt enim quod me rerum noſtrarum ipſe parum peri-
tus propitiorum tibi Electorum ſententiam tum ſecu-
tum huic tuo propediem futuro oneri dicas conſen-
ſiſſe ; vel in eo perfidi dicti ſacramenti reum alioqui
arguendum , qui nulla Principis Scholæ nominis reli-
gione & reuerentiâ elinguem Profeſſorem ac κωφὸν πρό-
σωπον meô calculô aut certè ſilentiô approbarim. Neſcis
ſcilicet me inter Electores vltimum, ſententiam pro
more primum dixiſſe, cumque rogatæ mox à Decano
fidei memor doctorum ex minori ordine indicem ,
vt noſtris legibus ſancitum eſt , obſeruarem , alios vt
ætate , ſic eruditione ſuperiores, qui id munus digniùs
implerent , antequam ad te deueniſſem , inueniſſe
ac nuncupaſſe ; tu vero deditum tibi & communis
pro Stibio ſyngraphæ vinculo nexum ſuffragatorem
habueris , & cum eo viros de noſtro ordine , diſci-
plinâ & meliore arte meritiſſimos M. Germanum
Preaux Cenſorem digniſſimum , M. Claudium Germa-
num argumento in Antimonium diffusè & eleganter
ſcripto clarum (vt tuo illum ore meliùs & veriùs
prædicem) illique ex conjuge Fratrem M. Claudium
Guerinum ; adeò illuſtre nomen quod accepiſti ab
his vel ab vrna potiùs , tibi non inuideo , BERTINE ,
fac modò , omneſque neruos contende , vt illorum
ſuffragiis pro Scholæ dignitate & æquo reſpondeas,
meque , ſi ſecus feceris , quod abſit, quantùm fuit in
integrò omni culpâ & gratiâ protinùs intelligas in te
ſic ornando vacaſſe. Tandem ergo exhauſtô omni vi-
rulenti oris tabô , vti cœperas, maledicendo deſinis,
Pag. 80. meque ceu Luſcum alterum de Fundana Prætura è
Scribâ Prætorem Horatianô ſale, nomine noſtrô cor-
rupto aſpergis ; at profectò inconſideratiùs & præter
animum conuitiandi, quô ſcenam hanc tuam claude-
bas ; accipio conditionem & nomen BERTINE, nec
graue etenim mihi, immò acceptiſſimum futurum cum

viro Prætorio componi, qui Græcam ſcribebat Hiſtoriam, & videbat in litteris, inquit Tullius. *Dubium* me idcirco deinceps ne dixeris? nomen dediſti, *Luſcus* ſum. O te tantulo, iſto vitio ſi quod in me Natura peccauit, ter quaterque beatum! qui præ errore oculorum plura in tuo hocce Apologetico reliquerim, quàm arguerim peccata, ita vt votis de me tuis nihil penitùs defuiſſet, ſi adeò temerè & imperitè publicatô hôcce tuô ſcriptô cæcum eum offendiſſes, qui te mutum in Scholis & planè elinguem cunctis ſtupentibus fecerat. Ecce viciſſim, quod æquum eſt, ipſe reponam & ex Perſio compellabo. Lib. 5. Tuſcul. quæſt.

Aſpice & hæc, ſi forte aliquid decoctius audis, Satyra 1.
Vnde vaporatâ lector mihi ferueat aure.
Non tu, qui in crepidas Grajorum ludere geſtis
Sordidus? & Luſco qui poſcis dicere Luſce,
Teque aliquem credens oculos amiſeris ambos.

Neve Plagij denuò apud te audiam, En tibi de noſtro, imo tuo fundo, vt omnia tua intelligas, cum fœnore reddo.

FATVM ANAGRAMMATICVM
Bertini Dieuxiuoie.

BERTINVS DIEVXIVOIE.
INVIVS EXIBIT DE VERO.

G*ERMINA Naturæ* Bertine, *latere ſub ipſis*
Nominibus ſapiens dixerat Hippocrates.
Nominis heus elementa tui jam conſule, diſces
Erroris quo te conſcia ſcripta trahunt.
Invivs exibit de vero, *dogmata quando*
Bertinvs *Medicæ linquet auita Scholæ.*
Hæc Coi Cortina ſenis prædixerat, hoc in
Nomine fatidica neſcius omen habes,
Exitus acta probat, nam ſubſcripſiſſe veneno
Erroriſque Laſer ſunt monimenta tui.

ICON

BERTINI DIEVXIVOIE.

Os nigro BERTINE *tibi natura colore*
Pinxerat, vt mores redderet illa tuos.
Talis ades ſcriptus, vllâ ne candidus ipſe
Parte fores, dedit is qui color intus erat.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

PAgina 65. lineâ 10. vero animalibus, lege animalibus vero

Pag. 79. lin. 9. in margine 48. lege 54.

Pag. 83. l. 2. natura, lege naturæ, pag. 89. l. 2. naſturtum, lege naſturtium.

Pag. 89. Selapſarios, lege ſeplaſiarios.

Pag. 93. lin. 10 obſeruata, lege obſcurata. lin. 19. λυβικὸν lege λιβυκόν. lin. 23. Lybiam, lege Libyam.

Pag. 99. lin. 26. ſpacio, lege ſpatio. lin. 28. confequenter, lege conſequenter.

Pag. 111. lin. 13. diuiſi, lege diuiſui.

Extraict du Priuilege du Roy.


PAR grace & Priuilege du Roy, en datte du 10. jour d'Octobre 1659. Signé, GVITONNEAV. Et seellé. Il est permis au Sieur PHILIPPES DOVTÉ Docteur Regent en la Faculté de Medecine de Paris, de faire imprimer, vendre & debiter dans nostre Royaume, Païs, Terres & Seigneuries de nostre obeïssance par tel Imprimeur ou Libraire qu'il voudra choisir, deux Liures intitulez, l'vn PHILIPPI DOVTÉ *Doctoris Medici Parisiensis de succo Cyrenaico Diatriba*; l'autre, ANTIRRHETICVS *pro Diatriba aduersus* BERTINVM DIEVXIVOIE *ejusdem Facultatis Doctorem*. pendant le temps & espace de sept ans, à compter du jour qu'il sera acheué d'imprimer. Et défenses sont faites à tous Imprimeurs, Libraires & autres, de les imprimer, extraire ou contrefaire, en vendre & distribuer d'autres que ceux qui auront esté imprimez par celuy que ledit sieur DOVTÉ aura voulu choisir, ou par ceux ayant charge & pouuoir de luy, à peine de mil liures d'amende, & de tous dépens, dommages & interests, comme il est plus amplement porté par ledit Priuilege.

Et ledit sieur DOVTÉ a transporté son Priuilege à FRANÇOIS MVGVET Imprimeur & Marchand Libraire, suiuant l'accord fait entr'eux.

Registré sur le Liure de la Communauté des Imprimeurs & Libraires, suiuant l'Arrest de la Cour de Parlement du 7. Avril 1653. Fait à Paris le 10. jour de Nouembre 1659. Signé, G. Iosse, Syndic.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 12. Nouembre 1659.

Les Exemplaires ont esté fournis.



Ex Typographiâ FRANCISCI MVGVET,
viâ Citharæ, ad insigne trium Regum.